



BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XLVII
C
24
NAPOLI



CONTINVATIO

PARTIS SECUNDAE

TOMI PRIMI

DEMONSTRATIONIS

HISTORIAE ECCLESIASTICAE

QVADRIPARTITAE.



DEMONSTRATIO
HISTORIAE
ECCLESIASTICAE
QUADRIPARTITAE
COMPROBATAE MONUMENTIS
PERTINENTIBUS
AD FIDEM TEMPORUM ET GESTORUM.





ROMAE CIƆIƆCCLIII.

EX TYPOGRAPHIA APOLLINEA.

SUPERIORUM FACULTATE.





INDEX CAPITUM.



IN-

INDICULUS RERUM

QUAE CONTINENTUR IN SEX TABULIS

PRIMI ET SECUNDI SAECULI

DEMONSTRATIONIS

HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ QUADRIPARTITÆ

COMPROBATAE MONUMENTIS PERTINENTIBUS

AD FIDEM TEMPORUM ET GESTORUM.

INDICULUS

TABULAE PRIMAE SAECULI PRIMI

SIGNATAE A. 1. A. 2.

1. NOstrum Museum Christianum ab insigni Inscriptione, Deo Magno Aeterno sacra, capit exordium. In ea primaeva aetas lucet, & praecox religionis votum solutum a Diodoro. Oleae corona in uno quadrati marmoris latere, & palmae ramus in altero anaglyphi sculpta visuntur. Fabrettus pag. 64. (qui hanc Inscriptionem, tunc in Aedibus Nobilissimi Comitis Gomberti Justi asservatam, a Francisco Blanchino Patruo meo acceperat), *coronam, & palmas Christianitatis signa*

INDICULUS TABULAE I. SAECULI I.

gna nuncupavit. Et quoniam Christianae Religionis fundamentum est, ut, praeter unum Deum, nullum alium colendum esse credamus, hoc dogma Ecclesiae nascentis exordio lapidibus insculptum videmus. Extat Veronae (quae mihi natale solum est) in Museo Lapidario haec Inscriptio, quam Christianam esse multis ostendit Scipio Marchio Maffejus, Vir rerum antiquarum scientissimus, *Musei Veron.* p. 178. Laudatus Fabrettus D.M.&D.MA.SACRVM, quod legitur in monumento Leopardi, legendum DEO MAGNO SACRVM censet, *Inscr. cap. VIII. pag.* 564. Confirmat autem suam sententiam hoc epigrammate Veronensi. Quod cum Cl. Mabillonius legisset, non repugnare se dixit, quominus vera sit Fabretti opinio, *de cultu SS. ignotorum num. X. pag.* 619. Boldettus DEO MAGNO vel MAXIMO legi oportere statuit τὸ D.M., sicubi in Christianis Inscriptionibus reperiatur, *Osservazioni sopra i Cimiterj lib. I. cap. XXIV. pag.* 125. *& lib. II. cap. XI. p.* 438. *& seq.* Consule Doctissimum Virum Fr. Thomam Mariam Mamachium *Originum & Antiquitatum Christianarum* Tomo III. lib. III. cap. I. §. III. pag. 17. & Eruditissimum P. Lupium Soc. Jesu *Monum. S. Severae pag.* 57.

2. In parte aversa hujus Epitaphii, reperti in Coemeterio Callisti, Ethnica legebatur Inscriptio,

tio, teste Boldetto lib. 2. cap. x. *delle Osservazioni sopra i Cimiterj de' SS. Martiri* p. 456. *'hristianis namque mos erat, ut e sepulcris Gentium lapides revellerent in suos usus, & reli'a ex ea parte, quae interiora Christiani tumuspectabat, profana Inscriptione, aliam in exte'ori apponerent ritu Christiano*, ut inquit Mallonius *in Itinere Italico* pag. 136. & antesum Bosius, Aringhius, & Fabrettus in sexcens locis. Quare Martyrum sanctitati nihil of:iunt ejus generis mutuata sepulcra. *Idcirco* nquit V. C. Franciscus Victorius *in Dissertione Philologica*, qua nonnulla monimenta :rae vetustatis expendit & illustrat, pag. 15.) *rum non est, in sacris Suburbanis Coemete's nonnullos reperiri lapides Gentilium, in'is Christianorum adhibitos. Quaecumque'm Tabulae ad manus erant, sive fictiles, simarmoreae (Tabula, si scripta erat, inver-) occludendis Christianorum tumulis adhibe-ntur. Si qui igitur Epitaphia Gentilium in lris Coemeteriis aliquando describunt, ii pro'o scire debent, inversos tantum lapides, non o Epitaphia lapidibus hisce ex altera parte ripta usibus Christianorum inservisse, uti ɔsite monuerunt Editores & illustratores* Ro. : Subterraneae. *Quippe nostra etiam aetate 'uli defunctorum aperti sunt, quorum exter-*

 na

na facies memoriam Christiani viri exhibebat, partem autem aversam, quae scilicet legi, nisi reserato Loculo, nequibat, Epitaphio viri Gentilis instructam videre contigit, cujus sepulcro aptatus quidem lapis fuit, indeque in proximum fortassis Coemeterium postea translatus. Egomet vidi hujusmodi Epitaphia sacro-profana sub Ara maxima, tum Basilicae Liberianae S.Mariae Majoris quae dicitur ad Praesepe, tum antiquissimi Tituli SS. Marcellini & Petri prope Lateranum, ut alibi dicam. Lapis *Vitalio* positus, de quo nunc agitur, Dei unitatem, adversus Ethnicos praedicat.

3. Faustam felicemque obtigisse Museo Veronensi sortem putavit Cl. Vir Scipio Marchio Maffejus, cum marmoream hanc tabulam in eo dicare ipsi licuit. Nulla enim (inquit) ex priscis Inscriptionibus, neque consimile monumentum aliud ad hanc diem agnitum, Christi, *qui est super omnia Deus* (Rom. IX. 5.), Divinitatem tam diserte canit, veterumque Christianorum testatur fidem. *Carmen Christo quasi Deo* solitos fuisse ante lucem dicere, testis minime suspectus junior Plinius tradit (l. 10. ep. 97.), hoc est, *sicut Deo*. Quae verba Tertullianus repetit; quamvis in Editis non appareant, quia, *Christo & Deo* scribunt, ubi *Christo ut Deo* scribi debet.

bet. *Apologet.* c.1. *coetus antelucanos ad canendum Christo ut Deo*. Init ia versuum abrupta, in promptu fuit resarcire. Liciniae conjux Theodotus, Theodoti Pater Diaconus videtur fuisse. Caesaris servum alia Inscriptio memorat, cui *Diaconus* nomen erat. *Diacono* si scalptum esset, cum illa sociari posset epigraphe, ubi habetur *Jul. Augustinus Subdiac. Conjugi dulcissimae, cum qua vixit an.*VIII.ita in marmore, non *convixit*, ut in Grutero p.1049. 8. Vix unum aut alterum istiusmodi exemplum in tanta monumentorum affluentia occurrit, quia ut pervulgatum est, valde ab antiquo, & mira sollicitudine in Clericorum coelibatum ferri Ecclesia coepit. Haec Maffejus. De Christo Deo, alia insignia habemus testimonia apud Justinum *in Apologia* I.num.30. pag. 61. & in II. num. 6. pag.92. *edit. Paris. Monach. S.Mauri*, Origenem libro I. *contra Celsum* num. 79. pag.446., Athenagoram *Legat.* num. 10. ubi de Christo, & num. 32. ubi de moribus Christianorum pag. 266., laudatum Tertullianum *Apologetici* cap. 21. pag. 195. *edit. Havercamp.* Item in Actis *S. Theodori Martyris* apud Ruinartium pag. 365. & *SS. Martyrum Tarachi, Andronici &c.* apud eundem pag. 485. Plura in hanc rem attulit Doctissimus P. Maranus Congreg.

S. Mauri Monachus in egregio Opere, quod inſcribitur, *De Divinitate Chriſti*.

4. Raphael Fabrettus *Inſcriptionum* cap. 4. pag. 328. & ſeq. aliquot edidit Epitaphia eorum, qui diem eundem & natalem, & emortualem ſortiti ſunt. Vide Plutarchum *in Camil.*, Plinium Hiſtoricum lib. 7. cap. 53. & Gruterum pag. 934. num. 4. Lapis, quem in praeſentia illuſtramus, repertus fuit in Coemeterio Cyriacae. Exſtat nunc in vinea Nobilium de Bolognettis ad Viam Nomentanam. Vox Graeca ΙΧΘΥΣ, quae *piſcem* ſignificat, conflata eſt ex initialibus literis vocum, quae ſonant, ΙΗΣΟΥΣ. ΧΡΙΣΤΟΣ.ΘΕΟΥ. ΥΟΣ. ΣΩΤΗΡ. *Jeſus Chriſtus Dei Filius Salvator*. Tertullianus libro *de Baptiſmo* cap. 1. pag. 224. *Edit. an.* 1675. ait: *ſed nos piſciculi ſecundum* Ιχθὺν *noſtrum Jeſum Chriſtum in aqua naſcimur, nec aliter, quam in aqua permanendo, ſalvi ſumus*. Cum aqua baptiſmi regenerari nos ad novam ſpiritalemque vitam Majores noſtri intelligerent, ſimilitudinem e piſcibus, qui in aqua gignuntur, nec vivere ſine aqua poſſunt, duxerunt; iiſque omnibus, qui baptizati, Chriſtianam Religionem amplexi eſſent, indiderunt nomen piſciculorum. Quapropter (inquit eruditiſſimus P. Thomas Mamachius in libro I. *Originum & Antiquitatum Chriſtiana-*

rum

rum cap. I. §. vi. pag. 54.) Clemens Alexandrinus hortatus Christianos in Paedagogo est, ut, qui annulos ferrent, hi *piscis* figuram in illis insculpi curarent, ne suae originis obliviscerentur. Neque vero in annulis solum, atque lucernis (apud Aringhium), sed etiam in urnis sepulcralibus *piscis* vocabulum, vel figuram Christiani veteres exprimebant. Quamobrem in nostro Epigrammate Postumii Eutherionis non *piscis* figura, sed literae, quibus vox ΙΧΘΥΣ componitur, insculptae cernuntur. Adeundi Bosius, Aringhius, Fabrettus, Bonarrotius, & Boldettus, qui accuratius omnibus rem exhibet in libro inscripto, *Osservazioni sopra i Cimiterj* lib. 1. cap. 14. pag. 58. Manavit autem hic usus, ut aliquorum fert opinio, ex eo etiam carmine, quod *Acrostichis* dicitur, adscribebaturque Sibyllae Erithraeae. Notum est quanti apud Patres ea carmina fierent. Consule Orationem Constantini Imperatoris ad Sanctorum Coetum cap. 18. in qua haec (Latine reddita) habentur: *Primis versuum elementis* (quod genus *Acrostichis* vocatur) *Historiam adventus Jesu Christi apertissime declarans. Est autem Acrostichis hujusmodi: Jesus Christus Dei Filius Salvator.* Sanctus Augustinus lib. 18. cap. 23. pag. 505. Operis *de Civitate Dei* Edit. Paris. Monachorum S. Mau-

Indiculus Tabulae I. Saeculi I.

INDICULUS TABULAE I. SAECULI I.

S. Mauri, postquam Sibyllae carmen retulit, de quo agimus, haec continuo addit: *Horum autem Graecorum quinque verborum, quae sunt* Ἰησοῦς Χριστὸς θεοῦ υἱὸς σωτὴρ, *quod est Latine*, Jesus Christus Dei Filius Salvator, *si primas literas jungas, erit* Ἰχθὺς, *idest* piscis, *in quo nomine intelligitur Christus*. Consule quoque Auctorem libri *de Promiss. & Praedic. Dei* Parte II. pag. 168. inter Opera S. Prosperi Edit. an. 1711. Unicum addam S. Optati Milevitani testimonium, ad nostri marmoris, Postumii tumulo appositi, illustrationem: *Hic est piscis* (inquit) *qui in baptismate per invocationem fontalibus undis inseritur, ut quae aqua fuerat, a pisce etiam piscina vocitetur. Cujus piscis nomen secundum appellationem Graecam in uno nomine per singulas literas turbam Sanctorum nominum continet*, Ἰχθὺς, *quod est Latine* Jesus Christus Dei Filius Salvator. „ Delegimus ista ex Viris Cl. Bosio, Aringhio, Fabretto, Boldetto, Bottario, & Mamachio loco mox laudato, ubi inquirit, cur dicti fuerint Pisciculi, Christiani.

5. Lapidem nostro similem exhibent Boldettus lib. I. *delle Osservazioni sopra i Cimiterj* cap. 19. pag. 87. Dominicus Georgius Rodiginus *de Monogrammate Christi* cap. 9. pag. 60. & P. Marangonius in Opere inscripto *delle cose Gen-*

Gentilesche pag. 460. Extat nunc in Aedibus fel. record. Marchionis Capponii, & habet:

..ONIVCA INN....
MA CERVONIA SILVANA
REFRIGERA C. VM (*sic*) SPIRITA.
SANCTA DEP. KAL. APR TIBERI
ANO II ET DIONI COSS.

Clarifs. P. Antonius Maria Lupius in Differt. *de Monum. S. Severae* pag. 160. adhiberi hanc vocem *Spiritus* in facris literis, ait, *ad fignificandos etiam fingulos fideles, in quibus inhabitat Spiritus ille Paracletus*; idque conferre plurimum ad explicandas aliquas Infcriptiones, quae fic habeant. Raphael Fabrettus Vir rei Antiquariae confultiffimus cap. VIII. *Infcription.* pag. 574. & feq. refert Infcriptionem, pofitam heic num. 5., ex Coemeterio Caftuli erutam (nunc vero translatam in Mufei Capitolini Cubiculum *a Mifcellaneis* nuncupatum num. XXXIII.) & a fe vifam, una cum Patris Mabillonii judicio, haec fcribens: „ *Pater Mabillonius* in fuo Itinere Italico pag. 73. *Paganifmi notam illi inuffit*, *dum* Diis Manibus *dicatum credidit, quam nos uti* Deo Magno *Sacratam tueri conati fumus ad Infcr.* XXXIX. *Idem egregius vir*, manifeftum hunc de confirmatione locum effe, *affirmat*: *fed ego*, (*quantum Canonici juris ftudiofo adverfus infignem* Theo-

INDICULUS TABULAE I. SAECULI I.

Theologum insurgere fas est) *huic enunciationi non acquiesco*, *sed ex nostri Juris principiis ratiocinium instituens*; *admitto quidem per confirmationem Spiritum Sanctum dari*, *sed ut augmentum praestet ad gratiam*, *quando in baptismate*, *salutifero descendit illapsu*, *&* *in Fonte plenitudinem tribuit* AD INNOCENTIAM. *Haec Textus in cap.2.dist.V.de consecr. S.Melchiadi*, *nescio an vere*, *tributus*, *qui rursus eodem cap. vers. Qui autem*, *de acquisita innocentia post baptismum meminit*: *Ergo cum heic innocentia per Leopardum acquisita asseratur*, *magis recte*, *ac proprie baptismus* (*per quem innocentia ex praeallato Textu comparatur*) *contemplatus dici debet*: *itaut manifestus potius sit* de baptismo locus, *de confirmatione autem*, *nonnisi per concomitantiam*, *quod ajunt*, *&* *consequentiam*; *quatenus iis temporibus simul &* *semel baptismus &* *confirmatio conferebantur*. *In ultima linea omissum fuit verbum* VIXIT, *sed non sine exemplo*.

6. Hoc Graecum Epitaphium, editum a Fabretto cap. VIII. *Inscript. pag.*554. *num.*55. ita Latine sonat: *Aur. Aelianus Paphlagon Dei servus fidelis obdormivit in pace*. *Recordetur illius Deus in saecula*. Effossum fuit, & erutum ex Coemeterio Callisti, ut refert Boldettus in Opere, quod inscribitur, *Osservazioni sopra i Cimiterj* lib.2. cap.10. pag.456. 7. Ro-

7. Romae ex Coemeterio Callisti. Attici ſpiritus rogatur ut oret pro Parentibus ſuis, Sancta ergo & ſalubris eſt illorum invocatio. qui gloriam ſempiternam ſunt conſequuti.

Indiculus Tabulae I. Saeculi I.

8. Vas vitreum ſanguinea cruſta obductum, & repertum in Coemeterio Praetextati juxta Antoniae tumulum, in refrigerio Paradiſi poſitae, certum effuſi ſanguinis pro Chriſti nomine eſt argumentum. Hujuſmodi autem vaſa, quae ad ſepulcra Sanctorum Martyrum apponi in Coemeteriis conſueverunt, ſummam majorum noſtrorum in colligendo eorum, qui paſſi ſunt pro Chriſti religione, ſanguine, diligentiam plane demonſtrant. Nonnullis loculis, in externa ſuperficie memorialis Inſcriptio adjiciebatur, qua eis contineri ſanguinem Martyris, qui ibidem tumulatus erat, indicabatur. Mabillonius Tom. I. *Muſei Italici* pag. 138. ſcribit: *pro certis Martyrum indiciis ſunt vitrea vaſa Martyrum ſanguine intincta, qualia referuntur in Romae Subterraneae lib. 3. cap. 22.* Atque hujuſmodi quaedam egomet vidi, praeter ea, quae exhibet Boldettus in Opere inſcripto, *Oſſervazioni ſopra i Cimiterj* lib. I. cap. . & ſequentibus. Cl. Vir Antonius Maria Lupus Societatis Jeſu in Diſſertatione *de Epitaphio Sanctae Severae* pag. 31. *Res eſt* (quae-, an negari jure poſſit, ſanguinem eſſe illum,

 qui

INDICULUS TABULAE I. SAECULI I.

qui in iisdem vasculis rubrum colorem praesefert) *ita multis experimentis fulta, ita validis demonstrata rationibus, ut vel hominibus a Romana Ecclesia alienis, dummodo vel maxime imperiti, vel praefracte temerarii non sint, persuasum de ea fuerit. Quae Godefridus Leibnitius ad Illustrissimum Raphaelem Fabrettum hac super re scripserit, Fabrettus ipse narravit,* Inscript. Domesticarum cap.8. pag.555. *Martyrium* (verba sunt laudati Fabretti, quae Lupus non recitat) *significari etiam per vasculum appictum, in quo sanguis asservari solebat; ita ut & hodie similes ampullae vitreae sanguinea & purpurea crusta obductae, frequentissime in sacris Coemeteriis juxta Martyrum loculos, quà capita recumbunt, reperiantur; certissimo effusi pro Christo sanguinis argumento, quo praecipuo, imo & unico usus sum, dum Sacrarum Reliquiarum extractioni & custodiae praefui. Praeoccupavit hanc probationem Aringhius. Verum quia aliquis ex Heterodoxis, quem non nomino, meam hac in re credulitatem deridiculo habitam typis vulgavit; quasi hunc, quem sanguinem, ampullae sibi a me ostensae adhaerentem (exsiccatum quamvis) esse dicebam, ille ex Cicerone forsan edoctus lib. II.* de Divinitate, *ubi haec ait :* decoloratio quaedam ex aliqua contagione terrena, maxime potest sanguinis simi-

similis esse, *ita prorsus statuit; & rubiginem non a sanguine, sed a colore terrae, per quam humor pluvius percolatur, contrahi contendit. Unde adversus inexpectatam hanc rei apud nos evidentis impugnationem, novas & Aringhio inexcogitatas hujus veritatis probationes instituam, missa ea quae sola sufficeret, impossibilis nimirum penetrationis extranei humoris in ampulla calci tenacissimae inclusa: quinimo, penetratione etiam admissa, improbabilis ejusdem liquoris exsiccationis, eadem immissionis causa permanente.*

Altera, & quidem inexpugnabilis, tanquam ab ipso humano sensu proveniens, insurgit ex discolori varietate terreni in variis hisce circa Urbem Coemeteriis; constanti tamen semper & ubique in nostris vasculis sanguinei coloris indistincta similitudine: nemo quippe, qui hoc compertum habeat, serio dicet, sive e flavente Coemeterii Pontiani terra, sive e nigrante Priscillae, eodem pacto liquorem sanguini similem transmitti posse.

Tertiam addo ex physica observatione Clarifs. Viri Godefridi de Leibniz, qui quamvis a Romana Religione alienus, non tamen ita studio partium affectus est, ut sine delectu damnet omnia ea, quae nostra orthodoxa Ecclesia a Sanctorum Patrum traditione, fideque histori-

 ca,

INDICULUS TABULAE I. SAECULI I.

ca, longe ante haec deploranda dissidia recepit. Ita, inquam, de hac controversia, Vir doctissimus datis ad me literis judicium tulit. „ *Frustum phyalae vitreae ex Coemeterio Callisti al-*
„ *latae, rubedine tinctum, examinavi nonni-*
„ *hil, ut facilius discerni posset, cujus ea ge-*
„ *neris esset, & utrum (ut physici hodie loquun-*
„ *tur) ex regno animali, an potius minerali,*
„ *esset profecta. Et venit mihi in mentem uti*
„ *solutione salis armeniaci (ut vocant) in*
„ *aqua communi, ac tentare, an ejus ope ali-*
„ *quid a vitro separari, atque elui posset: id*
„ *vero subito, & supra spem successit: indeque*
„ *nata nobis merito suspicio est, sanguineam po-*
„ *tius materiam esse, quam terrestrem, seu mi-*
„ *neralem, quae vi corrosiva praedita, tanto*
„ *tempore, altius in vitrum fortasse descendis-*
„ *set, nec lixivio tam subito cessisset* „. *Haec libentius incredulis istis objicio, quo ex Novatorum ipsorum discordia, magis magisque Nostrorum consensui fides accrescat.* Ita Fabrettus. *Fusius deinde hanc explicavit controversiam* (prosequitur Clarissimus Lupius loco citato) *Boldettus, cui quod addere possis, vix reperias. Certum illud in primis est, vascula ejusmodi, quae ad aliquos Coemeteriorum loculos apposita inveniuntur, sanguinem olim continuisse. Hoc evincunt chimica illa experimen-*

menta Leibunitii: hoc oculi ipsi testes crustarum, etiam nunc post tot saecula rubescentium, negare non possunt ..... Effusum autem a Martyribus fuisse sanguinem, qui in ampullis his continetur, duo sunt argumenta, quae probant: alterum quidem ex historiarum testimonio ductum .... alterum vero, quod tum historia, tum ratio suppeditat, ex quibus eruitur, eorum tantum, qui Martyrium passi fuissent, non vero aliorum sanguinem fuisse asservatum. Laudat mox vir eruditus Boldettum, a quo id primum esse ostensum dicit: tum, adductis versibus Prudentii, quos heic praetereo, additisque duobus aliis, qui sic habent,

Indiculus Tabulae I. Saeculi I.

Nec jam densa sacro quidquam de corpore silva
Obtinet, aut plenis fraudat ab exequiis,

inde sic statuit: *ex quibus ultimis verbis illud etiam certo infertur, collecta fuisse haec non ut servarentur solum, verum etiam ut Martyris Hippolyti loculo inferrentur. Et quidem spongiosam unam .... inter sacra antiquorum Christianorum cimelia, quae in Museo Kirkeriano servantur, vidi intra ampullam christallinam; in qua ad Martyris sepulcrum adhaerente inventa fuerat ... Accidit praeterea aliquando inventas fuisse ejusmodi cruentas Phialas ad ea sepulcra, in quibus Martyrem contineri aliunde constabat. (Anno proxime elapso 1733. in Coemete-*

meterio Callisti detectus est loculus vase sanguineo notatus, & ita scriptus MARTYR IN PACE). *Sic in Coemeterio Ostriano adhaerebat vasculum sanguineum sepulcro Primitii*(vide hanc Tabulam num.20.) *quem titulus sepulcralis Martyrem exhibet:*

PRIMITIVS IN PACE QVI POST
MVLTAS ANGVSTIAS
FORTISSIMVS MARTYR
ET VIXIT ANNIS P. M.
XXXVIII. CONIVGI SVO
PERDVLCISSIMO BENEMERENTI
FECIT.

Sic etiam sepulcro Sanctorum Vitalis, atque Agricolae Martyrum Sanguis eorum illatus fuerat: quare magnus ille Ambrosius de eorum inventione loquens (de Exhort. ad Virgines) *collegimus*, inquit, *sanguinem triumphalem. Idemque de SS. Gervasii, & Protasii sepulcro narrat, inventa ibi eorum ossa integra, & plurimum sanguinis. Sanguinem autem illum, qui inventus est phialis, vasculisque contineri necesse fuit, cum jam dissoluta membrorum compage Corpora Martyrum in cineres, atque ossa resoluta essent ... Res itaque exploratissima est, quaeque in dubium revocari, praeterquam temere, nequeat, solitos fuisse primorum saeculorum Christianos, sanguinem e Martyrum vulneri-*

neribus defluentem colligere, ac diligenter recondere. Restat igitur, ut ostendamus Martyrum tantum...sanguinem ab antiquis fuisse asservatum... Quot enim sunt (quantumvis multi sint) ii loculi, quibus adhaerent cruenta haec vascula, si cum iis innumeris comparentur, quae hoc praeconio carent?... Restat igitur, ut dicamus solos Martyres honore hoc a fidelibus priscis exceptos, eorumque tantum sanguinem collectum &c. Haec ille.

9. Clemens Alexandrinus libro II. *Stromateon* num.4. pag.438. *Edit. Oxoniensis* scribit: *Qui in Christum crediderunt, Chresti, hoc est probi sunt, & dicuntur.* Id vero factum a Clemente est, quod fortasse audiret a quibusdam Ethnicis Χρηςὸν appellari *Servatorem*, qui originem nominis τȣ̃ Χρηςȣ̃ ignorarent. Nam Tertullianus *Apologetici* cap. 3. ait: *sed & cum perperam Chrestianus pronunciatur a vobis, (nam nec nominis est notitia penes vos), de suavitate vel benignitate compositum est.* Rursum idem ipse lib. I. *ad Nationes* cap. 3. *Chrestiani* (inquit) *pronuntiamur* (*nam ne nominis quidem ipsius liquido certi estis*), *sic quoque de suavitate, vel bonitate modulatum est.* Lactantius Firmanus lib.4.cap.7.pag.367. *Edit. an.*1660. scribit: *sed exponenda hujus nominis ratio est propter ignorantium errorem, qui*

INDICULUS TABULAE I. SAECULI I.

qui eum immutata litera Chreſtum *ſolent* dicere. Suetonius *in Claudio* cap.25. *Judaeos* (inquit) *impulſore Chreſto, aſſidue tumultuantes Roma expulit*. Chreſti autem nomine, Chriſtum indicavit, ut intelligimus ex S. Luca, qui *Actorum* 18. v. 2. omnes Judaeos Roma fuiſſe pulſos ſcribit, una cum Chriſtianis, qui eodem nomine ab Ethnicis donabantur. Tacitus l. 15. *Annalium* cap. 44. nominis Chriſtiani Auctorem *Chreſtum* appellat. Vide Paulum Oroſium lib. 7. *Hiſtoriae* cap. 4. Quamvis autem Χρηςὸς, *Chreſtus*, & Χρηςιανοὶ, *Chreſtiani*, dicti noſtri ab Ethnicis ipſis eſſent, eadem tamen appellatio fuit & a Fidelibus uſurpata (ut in Iſcriptione, quam illuſtramus, effoſſa ex Coemeterio Cyriacae,) non ignorantiae cauſa, ſed ex ea pronunciandi ratione; quae etiamnum eſt in uſu, ut ι Graecum, & η eodem modo a nonnullis efferantur. Conſtat enim jam inde ab Eccleſiae Saeculo ſecundo, dyphthongos ligari a Graecis conſueviſſe: atque in *Pſalterio Graeco-Latino* a nobis edito Tomo I. *Vindiciarum Canonicarum Scripturarum*, ſatis liquet, ι Graecum ſolitum fuiſſe quandoque efferri, ſcribique eodem ſono, atque η & e contra. Vide etiam Inſcriptionem hujus Tabulae I. Saeculi I. num. 52. in qua Gordiani nomen cum η ſcribitur, non cum ι.

10. Au-

10. Aureliam Agapetillam, cujus Epitaphium, in Coemeterio S. Agnetis via Nomentana repertum, damus, Virginem Deo sacram fuisse non dubium est. Id enim sibi vult titulus *Ancillae Dei*. Vide Possidium in *vita S. Augustini* cap.26, Gennadium *de Scriptoribus Ecclesiasticis* in Eutropio, S. Gregorium Magnum libro III. Epist.9. & libro VI. Epist. 23. (in qua ait, *Ancillas Dei . . . vos Graeca lingua Monastrias dicitis*), Concilium Romanum an.721., Zachariam Papam in Epist. ad Pipinum cap. 5. *de Monachis*, *idest Ancillis Dei*, Concilium Liptinense can. 7, Suessionense an.744. can. 3. & vetus Epitaphium *Eusebiae magnae Ancillae Domini*, asservatum in Monasterio S. Victoris Massil. & editum a P. Mabillonio Tom.IV. *Vit.SS. Ordinis S.Benedicti* pag.519. Ancillae Dei, ab Apostolico tempore Christo, Virginum sponso, se se consecrare consueverunt, ut dicam in Indiculo Tabulae I. Saeculi II. Interea confer S.Cyprianum in Ep.4. alias 66. pag. 7. *Edit. Oxon.* & libro *de habitu Virginum* pag.93. item Epist.33. pag.66, Concilium Caesaraugustanum an.380. celebratum, cap.8. pag. 806 Tomi I. Concil. *Edit. Harduini*, Synodum Carthaginiensem ann. 390. can. 3. pag. 952, Tertiam item Carthagin. an. 397. & Quartam coactam an.398. pag. 979.

INDICULUS TABULAE I. SAECULI I.

11. Epitaphium SS. Martyrum Eustathii & Amantiae, Romae in Coemeterio Callisti repertum. Corona, ramus Olivae, ac duo Vascula indicium Martyrii certum praebent. Vide Muratorium in *Novo Thesauro Veterum Inscriptionum pag.* 1894. *num.* 5.

12. Tabula Consularis ab anno, in quo verbum Dei caro factum est (scilicet sexto ante Aeram Christi Vulgarem), usque ad annum 21. ejusdem Aer. Vulg., ex Inscriptionibus autographis Romae servatis, aut editis a Panvinio, Pighio, Cuspiniano, Almelovenio, Norisio, Echardo, Relando, Stampa, Georgio, & Francisco Blanchino Patruo meo amantissimo contexta.

13. Imago JesuChristi, Romae servata prope Lateranum, in Sacello quod dicitur *ad Sancta Sanctorum*. Saeculo VIII. vetustiorem esse fateri oportet; quoniam Sthephanus Papa III. a Lateranensi Basilica, ad Exquilinam S. Mariae Majoris quae dicitur ad Praesepe, eam detulit, comitante Clero in Litaniis Majoribus. In vita Leonis IV. apud Anastasium Bibliothecarium ita legitur: *dum haec agerentur, praeclarus & celeberrimus dies advenit, in quo Beatae Dei Genitricis semperque Virginis Mariae Assumptio celebratur. Tunc praefatus & universalis Papa a Patriarchio* (Lateranensi) *cum hymnis,*

mnis, & canticis spiritualibus, Sancta praecedente Icona, ad Basilicam S. Hadriani Martyris, sicut mos est, propriis pedibus cum omni Clero perrexit. De hac imagine insignem instituit narrationem Cl. Vir Franciscus Commendator Victorius in egregio Opusculo, quod inscripsit: *Nummus aereus Veterum Christianorum &c.* pag.13. & sequentibus usque ad p.28. Totam etiam antiquitatem perlustravit P. Marangonius, ut cultum nostri Servatoris imaginis, honore quanto poterat maximo prosequeretur.

14. Quatuor priora Saecula *nostrae Demonstrationis Historiae Ecclesiasticae Quadripartitae*, inscripta sunt A MARTYRIBUS, ET A DOCTORIBUS. Quare num.34. hujus Tabulae I. antiquitatis cultoribus exhibuimus praecipua SS. Martyrum instrumenta, a P. Gallonio nostrae Congregationis Oratorii Romani Presbytero summo studio curaque collecta, atque affabre delineata, ut prior Tituli pars quatuor Saeculorum, A MARTYRIBUS dicta, hujusmodi symbolo tanquam vocali stemmate ipsis oculis usurparetur: heic vero alteram Tituli partem, cui A DOCTORIBUS nomen est, illustraturis, æri incidendum curavimus ex monumento arcuato Coemeterii S. Agnetis Via Nomentana (edito a P. Aringhio Tom. II. *Romae Subterraneae* lib. IV. cap.27. pag.213)

INDICULUS TABULAE I. SAECULI I.

Christum Dominum, inter duos Apostolos in campestri loco sedentem, apud quem binae exstant voluminum cistae: singulae autem imagines, sphaericis diadematibus capiti concinne aptatis decorantur, quae in aliis Coemeterialibus figuris fere nunquam ad hanc diem mihi contigit observare.

15.) Catalogus Pontificum Romanorum, pi-
16.) ctura & literis expressus in pariete Australi Navis Medianae celeberrimae Basilicae Doctoris Gentium Via Ostiensi, altero ab Urbe lapide. Palam propositus fuit omnium adspectui studio Leonis Magni, vel Symmachi Papae, in dicto pariete, innixo columnis viginti, donatis Basi, Capitulis, Epistylio, Zophoro, & Coronide. Supra Coronidem depictus est stylobates, per totam navis longitudinem productus, quasi separans tristegum secundum ab inferiori; & in eo stylobate visitur series & Catalogus Pontificum Romanorum, & singulorum imagines conspiciuntur, usque ad S. Innocentium I., a Beati Petri protome numerandae, digniori loco & Arae Maximae propiori sita. Singulae imagines coloratae sunt in spatiis orbicularibus, quas propterea Romani veteres dixerunt clypeatas; & duas inter imagines & orbiculos tantundem spatii relictum fuit, ut totidem breves epigra-

phes,

phes, & quidem palmaribus literis, pingi in area potuerint, quae nomen exprimunt illorum Pontificum, quibus apponuntur, una cum numeris annorum, mensium, ac dierum, quibus unusquisque Romanam Sedem tenuit, per literas numerales Romano more consignatis. Habes figuras inde petitas Petri, Lini, Cleti, & Clementis in hac Tabula prima numeris 15. 16. 35. & 36. Vide *Chronicum* ad annos 40. 65. 67. 77. & Tomum II. Anastasii Bibliothecarii pag. 31. 35. & 46.

Indiculus Tabulae I. Saeculi I.

17. Nummus Tiberii. In antica parte visitur Imperatoris caput laureatum, cum epigraphe, TI. CAESAR DIVI AVGVSTI F. AVGVSTVS; in postica vero (quam subtus damus num. 19.) MVNICIPIVM AVGVSTA BILBILIS TIBERIO CAESARE V. L. AELIO SEIANO COSS, anno videlicet Aerae Christi Vulgaris 30. Vide *Chronicum* ad eundem annum pag. 74. Exstat hic Nummus apud Gesnerum Tab. 34. num. 29, Theupolum Tom. I. pag. 126. & Musellium Tom. I. Tab. XII. num. 2. Bilbilitani, (ut scribit Vaillantius *de Coloniis* Tom. I. pag. 95.) Consulatum Tiberii & Sejani videntur procudisse, pro Duumvirorum nominibus, Romanos imitati, qui in omnibus locis statuas iis conjunctim posuerunt: nam, ut ait Dio lib. 58. pag. 523. *statim Consulem illum designavit, curarum-*

INDICULUS TABULAE I. SAECULI I.

rarumque suarum participem nominavit, Sejanumque suum vocans, saepe id repetiit, idem etiam hoc ad Senatum Populumque Romanum scribens. Et apud Tacitum *Annal.* lib.4. *Aram Clementiae, aram Amicitiae, effigiesque circum Caesaris ac Sejani censuere. Sed, ut Germanico malum omen cum Tiberio Consulatum gessisse, ita Sejano fuit; ille enim, insigne rerum humanarum imbecillitatis exemplum, Tiberii jussu occisus est. Tiberius* (inquit Tertullianus *in Apologetico* cap.V.) *cujus tempore nomen Christianum in Saeculum introivit, annuntiata sibi ex Syria Palaestina, quae illic veritatem istius Divini revelarant, detulit ad Senatum cum praerogativa suffragi sui. Senatus, quia in se probaverat, respuit: Caesar in sententia mansit, comminatus periculum accusatoribus Christianorum.* Sejanus tamen prae omnibus obstitit Tiberio, ne Christo divinos honores daret, decreta ejus Apotheosi, ut refert Orosius lib. VII. cap. 4. (Vide *Chronicum* ad ann.30.pag.75.). Sejani catastrophe contigit eodem anno, Chr. 30, quo Nummus a Bilbilitanis signatus fuit, ut prodit Nolana Inscriptio, a Norisio, Pagio, Schelestratio, Monelia, & Praesule Georgio memorata *in addit. ad Criticam Pagii*, in qua legitur:

TI. CAESAR. AVG. V.
SVF. VII.ID.MAI. FAVSTVS. CORNELIVS.SVLLA
SEXTEI-

SEXTEIDIVS . CATVLL. COS.
SVF. K. IVL. L. FVLCINIVS . TRIO . COS.
SVF. K. OCT. P. MEMMIVS . REGVLVS . COS.

Sculpta fuit haec Tabula poſt damnatum Sejanum Collegam Tiberii Quintum Conſulis: quapropter nomen ejus cum Tiberio non comparet. Die autem 18. Octobris in carcerem truſus, Senatus decreto eadem die capite plectitur. Ejus cadaver per triduum ludibrio habitum, per ſcalas Gemonias unco tractum in Tyberim projicitur.

18. Epitaphium PERPETUI Treviris adſervatum in Eccleſia S. Maximini. Eſt quanti vis pretii, quoniam Arianorum haereſi, fortaſſe nondum exortae, Chriſtum Deum confitendo, ſupremum cecinit. Bimardus legit *Legontia*, non *Leontia*, ut videre licet apud Muratorium *Chriſtianarum Inſcriptionum Claſſe XXV. pag. 1923. num. 5.*

19. Vide ſupra num. 17.

20. Hoc marmor erutum fuit ex Coemeterio Oſtriano anno Domini 1643. una cum vaſculo ſanguinis illi appoſito, ut refert Aringhius Tom. I. *Romae Subterr.* pag. 592. Boldettus quoque iterum ipſum edidit in libro inſcripto, *Oſſervazioni ſopra i Cimiterj* lib. I. cap. XIV. pag. 56. Vide ea quae diximus ad numerum 8. hujus Tabulae.

21. Ta-

INDICULUS TABULAE I. SAECULI I.

21. Tabula Consularis ab anno Aerae Christi Vulgaris 22. usque ad annum 50. ejusdem Aerae.

22. Nummus Herodis Antipae (cujus tempore Jesus Christus pro Humani Generis salute Cruci suffixus fuit) percussus est anno XLIII. a morte Herodis Magni, sub Cajo Caligula Imperatore. Prior pars, signata in Tab. n. 22. a, intra lauream haec habet, ΓΑΙΩ ΚΑΙCΑ ΓΕΡΜ CΕΒ *Cajo Caesar. German. Aug.* In aversa, signata 22. b, conspicitur ramus palmae, cum Epigraphe ΗΡΩΔΗC ΤΕΤΡΑΡΧΗC *Herodes Tetrarcha*, & anno L ΜΓ, idest XLIII. Graeci veteres, annos vocabant *Lycabantas*, testibus Hesychio, & Macrobio, & pro suo *lambda* usi sunt signo L, ut in Nummo hoc, de quo agimus. Vide Usserium *in Annalibus*, Emin. Card. Norisium in Epistola *ad Antonium Pagium*, Bernardum Lamium *in Appar. Chron.* Part. I. cap. 9. num. 2. Fratrem Thomam Vincentium Moneliam in Opere *de Annis Jesu Christi Servatoris*: *& de Religione utriusque Philippi*, Differ. I. pag. 12. §. 18. & Franciscum Blanchinum Patruum meum in Proleg. Tom. II. *Anastasii Bibliothecarii* pag. CLXV. num. 6. Annus 43. Regni Antipae difficile componi potest cum morte Herodis Magni patris ejus (a qua, Epocha Antipae sumit exordium) in

in sententia Doctissimi P. Moneliae. Vir Cl. Nicolaus Toinardus consimile numisma Antipae vulgavit, praeferens annum 34. sive L ΛΔ, cum Epigraphe ΗΡΩΔΟΥ ΤΕΤΡΑΡΧΟΥ, & palma. Legitur in parte altera, TIBEPIAC..

23. Anno Urbis Conditae 749. ante Palilia Syriae praeerat Quintilius Varus, qui successit C. Sentio Saturnino cum imperio in Syriam misso Anno Urbis Conditae 746, ut probat Patruus meus in Chronologia Consulari & Caesarea ex Nummis signatis Aera Augusti. Josephus lib. 17. *Antiquitatum* cap. 7. ait: *Quinctilius Varus Successor Saturnino missus ad gubernandam Syriam.* Vide *Chronicum* ad annum 5. ante Aeram Christi Communem pag. 7. Ad illustrandam vero Cyrini Descriptionem (cujus meminit S. Lucas in Euangelio cap. 2.), cum tempore Nativitatis Jesu Christi conjunctam, atque ad vindicandam ab impiorum calumniis Divinam Historiam, Nummorum ope tempus Syriacae Praefecturae Vari, & Saturnini figendum est. Nummi, quos exhibemus numeris 23. 24. & 25. ab Antiochenis scalpti, in aversa parte imaginem praeferunt Antiochiae, cum palma Syriae symbolo collibus insidentis, ad cujus pedes Orontes fluvius eam alluens visitur cum Epigraphe, ΕΠΙ. ΟΥΑΡΟΥ. AN-

INDICULUS TABULAE I. SAECULI I.

ΤΙΟΧΕΩΝ *sub Varo Antiochensium*. Trium horum Nummorum (quos Eminentissimus Norisius exhibet in Dissert.III. *de Epochis Syro-Macedonum* Tom.II. pag. 250. *Editionis Veronensis*) prior, signatus num. 23. Florentiae adservatur in celebri Cimeliarchio Riccardiano, ut laudatus Card. literis commendavit. *Prior* (inquit) *Nummus cum notis* ϞΚ *anno XXVI. Imperii Augusti in Syria, servatur heic Florentiae in scriniis Illustrissimi Marchionis Francisci Riccardi, duplici Legatione, Romana, ac Germanica, jussu Serenissimi Magni Ducis Etruriae pari splendore ac laude peracta, ac summis in Aula ministeriis domi forisque celebrati*. Alios duos Vari Nummos (quos damus num. 24. & 25.) memorat Pagius *in Apparatu Chronologico ad annum Urbis Conditae* 748. quo appulsus Vari in Syriam ab ipso consignatur. Hoc anno nos credimus cum Euangelio factam a P.Sulpicio Quirinio(qui & Cyrinus vel Cyrenius dicitur)primam in Palaestina descriptionem (ut scriptum fuit in *Chronico* ad an. 6. ante Aeram Christi Communem pag. 6. & 7.),remotumque a Syriae Praefectura C.Sentium Saturninium, atque ejus loco missum P. Quinctilium Varum. Cum ergo Tertullianus lib.IV.*contra Marcionem* c.19. hunc Censum in Judaea tribuat dicto Sentio Saturnino, qui

qui Consulatum gesserat anno Urbis Conditae 734. una cum Q. Lucretio Vespillo, aequum est dicere, eundem censum coeptum quidem fuisse a Saturnino, sed cum extraordinario imperio prosequutum sub Varo a P. Quirinio. Justinus Martyr in Dialogo *adversus Tryphonem*, Euangelicae S. Lucae lectioni adhaerens, scribit: *cum primus ille Census sub Cyrenio tunc ageretur, ascendit* (Josephus) *Nazaretho, ubi domicilium habebat, Bethlehemum* ἐπὶ χυρηνίε. Satis igitur erit mitti in Syriam cum extraordinario imperio P. Quirinium Anno Urbis Condit. 748. post Palilia, ut Saturnino quoque Descriptio tribui possit cum Tertulliano. Porro Quinctilius Varus anno insequenti C. Sentio Saturnino jam erat successor datus, ut elicitur ex anno Antiocheno XXV. hujus Nummi (signati num. 23.) sub ipso Varo Antiochensium exscalpti. En numerales notae, quibus ipse, & alii duo consequentes Nummi 24. & 25. sunt insigniti: EK. ϛK. ZK. nempe An. XXV. XXVI. & XXVII. Epochae Antiochenae Imperii Augusti in Syria. Ex anno Antiocheno XXV. elicitur, Varum Syriae praefuisse anno Urbis Conditae 749. ante Palilia: inchoatur enim Aera Antiochena ab Actiacha pugna, quae contigit IV. Nonas Sept. anno Urbis Conditae 723. post Palilia, *Caesare IIII. & M. Licinio Crasso Consulibus*. Cum

 igitur

INDICULUS TABULAE I. SAECULI I.

igitur ab Autumno an. Urbis Conditae 723. post Palilia, ad Autumnum anni U. C. 749. fluant anni solidi 25, conficitur Varum an. 749. ante Palilia jam Syriae praefuisse post Sentium Saturninum. Vide *Chronicum* ad annum 5. ante Aeram Christi Communem pag. 6. & 7.

24. Vide supra num. 23.

25. Postica pars hujus Nummi jam exposita fuit num. 23. Antica vero, quae heic visitur, exhibet caput Jovis laureatum sine epigraphe, cum rigente & implexa barba. Prudentius in libro *Peristephan. Hymno X. de Sancto Romano* (ut adnotavit Emin. Card. Norisius in Dissert. III. *de Epochis Syro-Macedonum* pag. 258. Edit. Veron.), Antiochiae Imperatore Maximiano Galerio contra Christianos desaeviente, Martyrium passo, Jovis Simulacrum describens, ait:

Ars seminandi efficax erroribus,
Barbam rigentem dum Jovis circumplicat.

Antiocheni *Jovem Philium*, idest, *Amicum adorabant*.

26. Nummus Augusti a Caesaraugustanis percussus an. U. C. 748. seu an. primo veri Christi Natalis. Vide *Chronicum* pag. 4. Inscribitur AVGVSTVS DIVI F. COS. XI. DES. XII. TR. P. XIX. Caput Augusti laureatum. In postica, CAESAREA. AVGVSTA. C. ALLIARIO. T. VETTI II. VIR. & Colonus agens boves.

Cae-

Caesaraugustani (inquit Vallantius *de Coloniis &c.*Tom.I.p.23.)Augustum in NummoConsulem designatum XII. inscripserunt, ei gratulantes, quod multis Consulatibus, cum deferrentur, post XI. recusatis, magno demum intervallo, ideft septemdecim annorum, petierit ultro duodecimum. Colonus agens bovem & vaccam, deductae Coloniae symbolum est: bos enim & vacca cum aratro jungebantur ad terminos Coloniae designandos, ex Varrone lib.4. de lingua Latina; ita ut Vacca versus Urbem, quam conderent, propinquior esset;ut mulieribus puerorum & familiae curam esse denotarent: exterioribus vero Bos, ut hominibus agrorum culturam indicarent: ductoque aratro, moenia deducebant, & eo sublevato, ubi portam locare vellent, innuebant. Vide Raph. Fabrettum *de Col. Trajani* cap.6. p.152.

27. Nummus Augusti, a Caesaraugustanis cusus anno U.C.749. qui secundus est veri Christi Natalis. In antica IMP. TRIBVN.POTEST.XX, & caput Augusti laureatum.In postica CAESAREA. AVGVSTA. CN. DOM. AMP. C. VET. LANG. II. VIR. *Caesarea Augusta, Cneo Domitio Amplo, Cajo Vettio Languido Duumviris*,& colonus agens Boves.Mediobarbus pag.47.ex Occone pag.65, hic vero ex Goltzio pag.51.scribunt CN.DOM.L.DO. M.C.

M.C. VET. C. AVG. III. VIR., & in sequenti Nummo CN. DOM. IMP. C.VET. LANG.II. VIR. pro CN.DOM. AMP. C.VET. LANG,II. VIR. Caesaraugustani Tribuniciam Potestatem XX. forsan ea ratione signarunt, qua & in alio Nummo *Cos. XI. Des. XII.* apposuerant, laetantes scilicet, quod Augustus tandem post septemdecim annos Consul Design. XI. Consulatum XII. gereret in hac XX. Tribunicia Potestate; quia bonum omen ex ejus Consulatu augurabantur. Dio enim lib. 53. pag. 521. refert, cum multa prodigia Romam terruissent, causam malorum creditam fuisse, quod Augustus non esset Consul. *Romani existimantes id sibi haud alia de causa contingere, quam quod Augustum non eo etiam anno Consulem haberent*. Gentis *Domitiae* duae claruerunt Familiae, altera Patricia, altera Plebeja, a quibus praenomina nulla, praeter quam Lucii & Cnei usurpata sunt: *Cneus* autem ob insigne naevi, qui in corpore gignitur, dictus est. *Vettia*, aliis *Vectia*, Gens, plebeja est. Q. Vettius Duumvir cum L. Cornelio Caesare V. Consule apud Gruterum pag. 299. renuntiatur. Haec ex eodem Vaillantio, *de Coloniis &c.* Tom. I. pag. 24.

28. Marmor hoc effossum fuit anno praeterito 1751. ex Coemeterio Priscillae Via Salaria.

ria. Exſtat nunc in parietibus porticus Baſilicae S. Mariae Tranſtyberim; & Magos, qui Bethlehemum ad Chriſtum adorandum ſe contulerunt, repraeſentat. Reges fuiſse *uſitato more Divinae Scripturae, quae cujuſque Oppidi Dominum, Regem appellare conſuevit*, ſcribit noſter Card. Baronius ad ann. 1. §. 30. Hujus generis Reges unus & triginta numerantur in libro Joſue *cap. XII. 9.* Vide S. Hilarium Pictavienſem lib. 4. *de Trinitate* §. 38, Hieronymum *in Danielem* cap. 2, & Caeſarium Arelatenſem *Serm.* 139. in Appendice Sermonum S. Auguſtini. Quibus adde Claudiani Mamerti diſtichon illud,

Dant tibi Chaldaei praenuntia munera Reges,
Myrram homo, Rex aurum, ſuſcipe thura Deus.

Tres autem fuiſse creduntur. Hunc numerum in anaglyphis & picturis Coemeterialibus conſtantem invenio: nec plures numerat S. Leo *in Sermonibus* I. III. V. VI. & in Epiſtola 16. cap. 2. Conſule Aringhium Tom. II. *pag.* 117. 143. 159. 355. & Tom. I. *pag.* 321. 325. 333. 587. 615. & 617. Jeſum a Magis adoratum *in praeſepi, ac tugurio*, ſcribit S. Joannes Chryſoſtomus *Homilia 6.* in Matthaeum. Sic & D. Auguſtinus *Enar. in Pſal.* 44. §. 3. & Hieronymus *in Epiſt.* 17. & 18. ad Marcellam. Quoniam

INDICULUS TABULAE I. SAECULI I.

niam vero sunt, qui velint, cum Tillemontio in Vita Jesu Chr. nota IX, eos Bethlehemum advenisse post Virginis Matris purificationem; nec desunt, qui biennio integro, postquam natus fuerat Jesus, illos accessisse contendant, nostri marmoris scalptor videtur in hanc abiisse sententiam. Ego tamen in Stabulo die XIII. post Nativitatem, Christum a Magis adoratum existimo. Singulos obtulisse singula munera, *magis fatendum est* (inquit S. Anselmus *cap.* 2. in Matthaeum*), *quod congruit mysterio*. Stella Magorum dux visitur in hoc anaglypho. Sarcophagus marmoreus effossus e Vaticano Coemeterio, allatusque ab Aringhio *Tom. I. Romae Subterraneae* pag. 295., & a Doctissimo Praesule Bottario *Tab. XXII. delle Pitture e Sculture &c.* Tom. I. illustratus, exhibet Magos (ut nostrum anaglyphum) cum pileis Phrygiis, a Tertulliano in lib. *de Orat.* cap. 12. (quo loco de tribus Pueris in fornace Babylonis agit) *tiaris* appellatis. Eodemque modo exprimuntur apud laudatum Bottarium Tab. III. Joseph Virgini Sponsae proximus adstare videtur, cum qua, appropinquante jam partu, ivit Bethlehem, ut juxta edictum Caesaris Augusti nomen suum profiteretur; atque inde quadragesimo post partum die venit Hierosolymam, ut ambo Puerum Domino offerrent; Hierosolyma

lyma vero in Patriam suam Nazareth reversus est.

29. Jesus a Pontio Pilato damnatus in hoc exhibetur anaglypho, reperto in Coemeterio Suburbano. Extat nunc in Ecclesia S. Joannis de Malva ad Portam Septimianam,& nusquam fuit editum.Pilatus,qui Judaeam moderabatur, Tiberii nomine id maxime curavit, ut Hebraeorum populo persuaderet, satis esse, si Jesus flagellis castigaretur, *ut ejus injuriis satiati sufficere sibi existimarent, & usque ad ejus mortem saevire desisterent*, ut scribit S. Augustinus *Tract.* 116. *in Joannem*. *Sed nomine Caesaris territus* (inquit S. Leo *Serm.*57. *c.*2.), *& Hebraeorum clamoribus,& Herodis Tetrarchae instigatione metuentis ne Regno pelleretur, victus*, (ut apud Lactantium *Instit.lib.*4.*c.*18.) *furentibus concessit & adjudicavit fieri petitionem eorum*, & sedens pro Tribunali, tradidit eis illum, ut crucifigeretur. Lavit ante, ut in Anaglypho, manus suas, dicens, *mundus sum a sanguine Justi hujus*. Ab Euangelistis omnibus,Christi tortores, semper milites appellantur. Quatuor sistunt Christum Pilato in nostro Anaglypho: & totidem fuisse, qui Christum cruci affixerunt, ex Euangelio Joannis colligit S. Augustinus (*in Joannem* Tractatu 118.): *Joannes autem* (sunt ejus verba) *& quot partes*

INDICULUS TABULAE I. SAECULI I.

de vestimentis ejus fecerint, dixit, idest quatuor, ut singulas tollerent. Unde apparet, quatuor fuisse milites, qui in eo crucifigendo Praesidi paruerunt: manifeste quippe ait: „ milites ergo cum crucifixissent eum, acceperunt vestimenta ejus, & fecerunt quatuor partes, unicuique militi partem „. Romanam cohortem produnt insignia lictoris in clypeo, in quo legitur S. P. S. R. (mendose pro S. P. Q. R.) *Senatus Populusque Romanus*. Pilatus Judaeae Procurator administravit Provinciam annis X. Demum Viennam Allobrogum, seu Galliae, in exilium missus, ibidem sibi mortem conscivit. Vide *Chronicum* ad ann. *36*. pag. 85. Exstat M. Joannis Adami Koningii Dissertatio, *de ritu lavandi manus*, ad Matthaei cap. 27. inserta Tom. II. *Thesauri Theol. Philol.* edit. 1702. Inanis autem haec Pilati purgatio fuit, ut probat Daniel Maphana sius, *in Confutatione Dissertationis perquam scandalosae Joannis Stelleri, lib. 1. cap. 18.* quod inscribitur, *de vana purgatione Pilati per ablutionem manuum*. In pluribus Sarcophagis e Coemeteriis Urbis effossis, ut in nostro anaglypho, Pilatus cernitur lavans manus, & Christus ei adstans, ut reus. Vide Aringhium *lib. I. cap.* 10 *Romae Subterraneae pag.* 277. 295. 299. 317. 321. & 493.

30. In Catalogo Liberiano, a quo originem ducunt

ducunt Chronotaxes aliorum, & Libri Pontificalis, legitur: *Imperante Tiberio Caesare passus est Dominus noster Jesus Christus duobus Geminis Consulibus VIII. Kalendas Aprilis*. Haec autem Epocha Passionis Dominicae VIII. Kal. April. duobus Geminis Consulibus, nempe C. FVFIO GEMINO & L. RVBELLIO. GEMINO, sub initium tertii Saeculi a S. Hippolyto in Canone Paschali Romae signata, & a Tertulliano in libro *adversus Judaeos* asserta, deinde sub exordium quarti a Lactantio lib. 4. cap. 10, & a Caecilio *de Mortibus Persecutorum*, eodemque Saeculo procedente a laudato Catalogo Liberii, & ad finem vergente a Magno Augustino, & a Sulpicio Severo, tum proximis aetatibus a Prospero, & a Victorio Aquitanis suos in libros translata, clavus est & cardo totius Chronologiae Pontificiae in Ecclesiae Diptychis, Catalogis, & Annalibus consignatae. Hujusce Consulatus *Duorum Geminorum* apud SS. Patres adeo celebris ex mysteriis nostrae Redemptionis in illo completis (vide *Chronicum* ad ann. 28. pag. 64. & seqq.) hoc documentum illustre damus ex marmore effosso anno 1722. intra Urbem prope Ecclesiam S. Sixti, & ab Eminentissimo Card. Gualterio comparato, deinde translato ex lectissimo Museo Emin. Card. Alexandri Albani in Ci-

Cimeliarchium Capitolinum. Vide *Chronicum* ad annum 22. pag.50.

31. Suetonius *in Augusto*, supremas ejus tabulas depositas fuisse narrat apud Virgines Vestales, una cum tribus signatis voluminibus, quorum *alter indicem rerum a se gestarum, quem vellet incidi in aeneis tabulis, quae ante Mausoleum statuerentur*, complectebatur. Augusteum hunc Indicem Roma missum, Ancyrani Galathae, adfixis Sebastei parietibus aeneis tabulis, ad perennem memoriam consecrarunt. Id celebre adeo est Ancyranum monumentum (inquit Cl.P.Monelia in Dissert. I. *de Annis Christi*), quod ex Asiana continente in Europeam auspicato revertisse visum est, cum anno Christi 1554. Antonius Wrantzius Dalmata Episcopus Agriensis, & Augerius Gislenius Busbequius Ferdinandi Romanorum Regis Legati ejus apographum cum eruditis Viris communicarunt. Verum a Daniele Cossono Batavo mercatore aliud longe auctius & emendatius eruditus Orbis accepit an. 1689. cui tamen praestat Tournefortianum, descriptum e parietinis Tabulis an. 1701, cum Vir Clarissimus Regis Ludovici XIV. jussu & sumtibus Orientem peragrando Ancyram adivisset. Vulgavit illud Edmundus Chishullus Anglus typis Londinensibus an. 1728. *in Antiquitatibus*

bus Asiaticis, cum vetustissima Inscriptione Sigea, aliisque pluribus egregiis monumentis. In Introitu ejusdem Sebastei Ancyrani res ab Augusto praeclare gestae marmori legebantur incisae. Quae praedicta fuerant a Prophetis de Pace aetate Christi futura, Augusti tranquilla, plenaque felicitatis tempora comprobarunt. In calce Inscriptionis, de qua heic sermo est, ita legitur:

Per totum Imperium Populi Romani parta est terra
marique pax: cumque a condita Urbe Janum Quirinum bis omnino clausum
fuisse prodatur, eum Senatus per me Principem ter claudendum esse jussit.

Quod superiore Reipublicae tempore bis tantum evenerat, Caesar, Orbe mari terraque pacato, Templum Jani Quirini ter clausit. Suetonius *in ejus Vita* cap. 22. *Janum Quirinum* (inquit) *semel atque iterum a Condita Urbe memoriam ante suam clausum, in multo breviore temporis spatio, terra marique pace parta, ter clusit*. Multa de hoc Suetonii loco disputant Eminentissimus Card. Norisius *in Cenotaph. Pisan.* Dissert. 2. cap. 10. pag. 310. Tom. III. Operum ejus Edit. Veron., Pagius *in Apparatu ad Annales Baronii*, Binaeus *de Natali Jesu Christi* lib. I. cap. 3. Petrus Daniel Huetius De-

INDICULUS TABULAE I. SAECULI I.

Demonst. Euang. Proposit. 9. cap. 8. & Monelia.

I. Nonnulla Patrum testimonia, quibus, eo temporis spatio, quo Verbum Dei caro factum est & habitavit in nobis, in terra pax constituta, & Orbis Romani felicitas comprobatur, lubet in medium afferre contra Massoni Tractatum *de Jani Templo Christo nascente reserato.* Origenes lib. 2. *contra Celsum* num. 30. pag. 412. Tom. I. Edit. Paris. Monachorum S. Mauri, *Deus* (inquit), *cum Gentes ad* (Christi) *doctrinam praeparatas vellet, providit, ut uni Romanorum Imperatori parerent; ne, si plures essent Reges, Gentesque essent a se invicem alienae, difficilius Apostoli exequerentur id, quod illis a sese praeceptum fuit hujusmodi verbis:* euntes, docete omnes Gentes. *Atque etiam constat Jesum natum esse sub Augusto, qui in unum Regnum maximam hominum, qui in Orbe terrarum dispersi sunt, multitudinem veluti consociaverat. Regnorum enim multitudo impedimento fuisset, quo minus in totum Orbem doctrina Jesu disseminaretur. Id efficitur tum ex iis, quae jam diximus, tum inde maxime, quod pro Patriae defensione bella gerendi necessitas fuisset, ut paullo ante Augusti tempora, superiusque factum est &c. Quomodo igitur pacifica haec doctrina, quae ne inimicorum quidem injurias ulcisci permittit, potuisset invalescere, nisi*

tota

toto Orbe adversus Jesu, placatis animis, dissidia omnia composuisset? Eusebius Caesariensis lib.I. *Praeparationis Euangelicae* cap.4.pag.10. Edit. an.1628. *Divinae* (inquit) *profecto, arcanaeque potestatis id fuit, ut simulatque Verbum illius, deque summi unius tantum Dei, qui rebus praeesset omnibus, Principatu doctrina proponeretur, continuo genus hominum ... a multiplici Gentium dominatu vindicaretur. Praesertim cum sexcenti olim Reges singulis in Nationibus, in Urbibus autem, ac Regionibus Imperium infiniti Reguli obtinerent, aliique Populi, Tyrannorum alii, alii denique plurium dominatu premerentur: cumque inde omnis generis bella, ut oportebat, exsisterent, commissis inter sese Gentibus, vicinosque populos infestis semper armis petentibus &c. At vero cum sese primum Christus ostendisset, de quo Propheta olim cecinerat:* orietur in diebus ipsius justitia, & abundantia pacis, *oraculorum veritatem continuo exitus comprobavit. Nam multiplex ille Romanorum Principatus illico sublatus est, cum Augustus sub ipsum Servatoris nostri adventum summam rerum unus accepisset.* Similia habet lib. III. *Demonstrationis Euangelicae* cap. ultimo, & lib. VII. cap. 2. S. Ambrosius quoque *Comment. in Psal.* 45. pag.934. Tom.I. Edit. Paris. Monachorum S. Mauri: *Hoc autem*

tem (inquit) *eo perfecit, ut recte per totum Orbem Apostoli mitterentur. Illis quidem etiam interclusa barbaricis montibus Regna patuerunt, ut Thomae India, Matthaeo Persia. Sed tamen, quo plura obirent spatia terrarum, in exortu Ecclesiae potestatem Romani Imperii toto Orbe diffudit, & diffidentium mentes, terrarumque divortia donata pace composuit. Didicerunt omnes homines sub uno Terrarum Imperio viventes, unius Dei Omnipotentis Imperium fideli eloquio confiteri.* Similia omnino scribunt S. Augustinus lib. 18. cap. 46. *de Civitate Dei*, & S. Hieronymus *in Commentar. in Isaiam*.

32. Tabula Consularis ab anno Aerae Christi Vulgaris 51. usque ad annum 75. ejusdem Aerae.

33. Imago Deiparae Virginis, in Sacrosancta Basilica Liberiana Romae servata, quam a S. Luca Euangelista depictam ferunt. Plures exstant hujusmodi imagines; de quibus agam in Historia ejusdem Basilicae, quam jussu Sanctissimi Domini nostri BENEDICTI XIV. Pontificis Maximi quamprimum in lucem dabo. *Theodorus Lector*, qui floruit Saeculo Christi VI., *lib. I. cap. I.* primus omnium de quadam imagine Genitricis Dei Mariae a Luca depicta meminisse creditur, cum ait, *Eudoxiam ab Ur-*

Urbe Hierosolymitana ad Pulcheriam misisse imaginem Matris Domini, quam Lucas depinxerat. Meminit etiam Simon Metaphrastes Saeculi IX. scriptor, & utroque junior Niccephorus S. Lucae Picturarum. Vide Card. Baronium ad ann. Chisti 48. §. 26.

34. Instrumenta Sanctorum Martyrum in sacris Coemeteriis inventa, aut ex antiquis picturis, Actisque Passionum sinceris descripta, & in unum corpus collecta a P. Antonio Gallonio nostrae Oratorii Congregationis Presbytero, in Opere, cui fecit titulum, *de Sanctorum Martyrum Cruciatibus*, Romae edito anno 1594. Vide supra num. 14.

35.) Vide supra numeris 15. & 16. Indiculi
36.) hujus Tabulae.

37. Caput Domitiani Caesaris laureatum, cum epigraphe ΚΑΙΣΑΡ ΔΟ.... *CAESAR DOmitianus*. In postica (posita numero 39.) legitur, ΙΟΥΔΑΙΑΣ ΕΑΛΩΚΥΙΑΣ *Judaea devicta*. Nummus hic cusus videtur ab aliqua Colonia sub Tito in honorem ejus Fratris Domitiani adhuc Caesaris, ad renovandam triumphi Judaici memoriam. In decennalibus enim, & Festis id genus aliis, victoriae antea relatae, memorari solitae. Certe in Titi Nummis cusis anno 80. quo Decennalia edidit, legitur, sicut in nostro, IVDAEA CAPTA, ut videre

est apud Mediobarbum: quae verba, inquit Pagius *in Critica ad an. Aerae Chr. Vulg.* 78, in aliis Titi Nummis, praeterquam in utriusque Decennalibus percussis, non exprimuntur. Immo in Nummo Vespasiani, VIII. ejus Consulatu signato, legitur item, IVDAEA CAPTA, quia aequum non videbatur, ut Vespasianus, qui cum Tito triumphaverat, eodem tunc titulo non exornaretur. Arcus quoque Triumphalis, anno Christi 80 Romae erectus ad radices collis Palatini, adhuc visitur cum Inscriptione, in qua Titus dicitur Gentem Judaeorum delevisse. Mirari nemo debet, caput Domitiani Caesaris laureatum exhiberi in nostro numismate. Quamvis enim qui Caesares tantum erant, sine laurea in Nummis ut plurimum inspiciantur, (quod numismata M. Aurelii, ac ejusdem filii Commodi, cum Caesarea tantum dignitate ac titulo ornati essent, ostendunt); Domitianus tamen adhuc Caesar in aliis etiam Nummis laureato capite scalptus passim visitur; quod initio statim Imperii Vespasiani Patris; cum hic nondum ex Syria novus Imperator in Urbem venisset, expeditionem in Germaniam ac Galliam suscepit, uti scribunt Tacitus *lib. 4. Historiae*, Suetonius cap. 2. *de Vita ejusdem*, ac Josephus lib. 7. *de Bello Judaico* cap. 23. ubi, narrata Civilis ac Classici rebellio-

lione, quam in Germania, ac proximiori Gallia conflaverant, ait: *Nam ut primum defectionis eorum nuntius allatus est Romam, Domitianus Caesar hoc audito, non sicut alter in illa aetate fecisset, (nam admodum adolescens,* undevigesimum aetatis annum agebat),*tantam rei magnitudinem suscipere non detrectavit, sed a Patre habens ingenitam fortitudinem, & supra aetatem exercitatus, illico tendebat in Barbaros. Illi autem expeditionis fama perculsi, ei se submiserunt.* Quamvis, ut tradit Tacitus *in fine libri IV. laudati*, Domitianus, monente Muciano, ne adversus rebelles confecto jam prope a Petilio Caereali bello, alienae gloriae interveniret, Lugduni substiterit. Et sane Germani, permixtique eisdem Galli, advenientis cum majoribus copiis Domitiani Caesaris fama perculsi, facilius ad obsequium, abjectis armis, rediere. Hinc Domitianus, licet tantum Caesar, cum laurea in Nummis scalptus est. Vide Norisium *de Epochis Syro-Macedonum*, Dissertatione III. pag.327. *Edit. Veron.*Theupoli *MuseumAntiq.numis.*Tom.2. pag.855. & Vaillantium *de Colon. Graec.* p.21.

38. Epitaphium Faustinae Virginis Romae effossum ex Coemeterio Callisti. Cur dicatur FORTISSIMA, aequus bonusque Lector videt, ob fidem nempe Christi fortiter in tor-

Indiculus Tabulae I. Saeculi I.

mentis affertam. Lapis supra ejus corpus, unà cum vase sanguinis repertus fuit a Clarifs. Boldetto, ut ipse narrat *lib. II. cap. III. Observationum in Coemeteria SS. Martyrum* pag. 339; visitur columba. Haec autem nivei candoris, simplicitatisque morum, & amoris, & pacis, & castitatis, & prudentiae, & contemplationis, & mitis demissi innocentisque animi symbolum est, ut saepe fuit a Patribus animadversum, & praesertim a Clemente Alexandrino lib. I. *Paedagogi* cap. V. pag. 106. *Edit. Oxonien.* & a S. Cypriano libro *de unitate Ecclesiae* cap. VI. Consulantur etiam Tertullianus lib. *adversus Valentinianos* cap. 2. pag. 250. *Edit. an.* 1675, S. Cyrillus Hierosolymitanus *Cathechef. Illumin.* 17, S. Augustinus *contra Epistolam Fundamenti* cap. 4, aliique, quos laudant Paulus Aringhius *Romae Subterraneae* lib. VI. cap. 35. pag. 607. Philippus Bonarrotius *Osserv. sopra alcuni frammenti di vasi antichi di vetro* pag. 124. & seqq., Boldettus in Opere mox laudato lib. I. cap. 7. pag. 24. & seqq., ac Praesul Joannes Bottarius Vir eruditissimus *Spiegaz. delle Pitture e Sculture della Roma Sotterranea* Tom. I. Tabula XXX. pag. 116. Visitur quoque in Inscriptione Faustinae de qua loquimur, *anchora*, quae firmae atque stabilis spei signum est,

ut

ut docet S. Paulus in Epistola ad Hebraeos cap. VI. vers. 18. 19. 20. ubi ait: *Fortissimum solatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propositam spem; quam sicut anchoram habemus animae tutam, ac firmam, & incedentem usque ad interiora veluminis, ubi Praecursor pro nobis introivit Jesus secundum ordinem Melchisedech Pontifex factus in aeternum*. Noster Aringhius lib. VI. cap. XI. *Romae Subterr.* multorum SS. Patrum testimoniis anchorae symbolum illustravit. Consulantur etiam Bosius, Ciampinius, Montfauconius, Boldettus, Muratorius, Lupius, Bottarius, Franciscus Commendator Victorius, & Mamachius, qui *Originum & Antiquitatum Christianarum* lib. III. p. 102. num. 33. meminit Epigrammatis S. Faustinae, quod heic illustramus, scribens, *sed praetermittere nullo modo possum anchoram in sepulcro S. Faustinae Martyris cerni*; cum Inscriptione, VIRGINI FORTISSIMAE.

39. Vide supra num. 37.

40. In principio & fine Epigrammatis *Pauliae* (cujus fides & integritas immaculata, usque ad extremum diem vitae suae fuit) cernitur Monogramma ☧, in nostra Tabula hoc num. 40. oscitanter a Chalcographo omissum, de quo Eruditissimus Praesul Dominicus Georgius luculentam edidit Dissertationem.

nem. Componitur Monogramma ex Graecis literis X & P, quae primae sunt vocis Χριϛὸς. Insculptum lapidibus Coemeterialibus fuisse constat non Diocletiani modo temporibus, sed etiam Antoninorum, & Hadriani. Visitur enim in monumento S. Marii Militis ac Martyris (qui passus est sub Hadriano) insculpto Tab. I. Saec. II. nostrae *Demonstrationis Historiae Eccl. &c.* num. 1. ac in illo S. Alexandri, qui sub Antonino Martyr decessit, & exhibetur in eadem Tab. num. 3. Inscriptio quoque Sepulcri S. Caji Papae, qui obiit Diocletiano Imperatore, Monogrammate Christi est insignita. Vide egregium Commentariolum super eadem, Caesaris Becilli nostrae Cong. Presbyteri, nostrique item Aringhii *Romam Subter.* Tom. I. lib. III. cap. XI. pag. 454. & Tom. II. lib. VI. cap. 43. pag. 642. Hos autem Martyres ante Constantinum passos fuisse quis negabit? Joannes Basnagius, qui hujusce Monogrammatis in sacris arenariis extare ante memoratum Imperatorem nullum vestigium putat, nervis omnibus impugnatur a Cl. Georgio, in Dissertatione, de qua supra, inscripta *de Monogrammate Christi*.

41. Tabula Consularis ab anno Aerae Christi Vulgaris 76. usque ad annum 100. ejusdem Aerae.

42. Po-

42. Postica pars Nummi, quem illustramus, inscribitur ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΕΠΙ ΣΙΛΑΝΟΥ ΓΜ *Antiochensium sub Silano anno* 43. Aries in astrum respiciens aream occupat. In antica visitur caput Jovis laureatum sine epigraphe, ut in Nummis positis num. 25. & 47. hujus Tabulae. Quare eandem anticam partem in Tabula chalcographica omitti volui. Vide Norisium Tom. II. pag. 259. Silanus Creticus hoc anno 43. Imperii Augusti in Syria (nempe an. U. C. 766. post Palilia) P. Sulpicio Quirinio Syriae Praesidi fuit successor datus. Habita fuit anno U. C. 723. post Palilia Pugna Actiaca Augustum inter & Antonium, qui jam diu inter sese diffidebant, idest Septembris die secundo, a quo annorum Monarchiae Augusti numeratio est instituta (ut in libro 51. notavit Dio): quos ann. 44. fuisse idem lib. 56. refert. Proficiscitur & ab eadem pugna Aera Antiochena, quae in variis Numismatibus Praesidum legitur, ut heic in tribus Silani. Quiririnius, de quo plura jam diximus supra num. 23, necnon in Chronico, Syriam administrandam suscepit anno 5. ante Aeram Christi Vulg., eamque rexit usque ad annum ejusdem Aerae 13., quo exeunte Quinctus Caecilius Silanus Creticus eam Provinciam obtinuit. Card. Norisius Vir Cl. scripsit ad Pagium, exstare in Mu-

INDICULUS TABULAE I. SAECULI I.

Museo Illustrissimi Marchionis Riccardi ; & in Mediceo, Nummos duos aereos, in quorum antica visitur (ut in hoc de quo agimus) caput Jovis, & in postica legitur, ΕΠΙ ΣΙΛΑΝΟΥ ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. Repraesentatur Aries retrosydus aspiciens & in medio ΓΜ. Est annus Antiochenus 43, ab anno Urbis Conditae 723. (post Palilia) seu Victoria Actiaca deductus: exstare & duos alios etiam aereos in Gaza Medicea ejusdem Silani omnino similes, cum his verbis ΕΠΙ ΣΙΛΑΝΟΥ ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ, & in medio ΔΜ. Est annus Antiochenus 44. Prior Antiochenus annus inchoatur anno Christi 13; posterior anno sequenti. Quare jam anno praecedenti Silanus Syriam administrandam susceperat. Quod ex eo certum redditur, quod Card. Norisius in iisdem literis moneat, asservari in Gaza Medicea Nummum Silani, in cujus antica visitur caput Tiberii, cum inscriptione, ΣΕΒΑΣΤΟΥ ΚΑΙΣΑΡ. In postica vero Α ΕΠΙ ΣΙΛΑΝΟΥ ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΕΜ. Nota superior Α primum Proconsularis Imperii Tiberii annum (Chr. 10.), notae inferiores ΕΜ an. 45. ab Imperio Augusti in Syria notant. Incipit hic Augusti annus anno U. C. 766. post Palilia Christi nempe 13. quo, die 19. Augusti Octaviano Tiberius in Imperio Augusteo successit. Toinardus quoque Vir doctissimus scripsit ad Pa-

Pagium, vidisse se Silani Nummos anno Antiocheno Z M notatos, cum nota Γ supra Silani nomen, quae non tantum tertium Imperii Proconsularis Tiberii annum designat, sed etiam notam A, Nummo Mediceo adscriptam, primum Imperii Proconsularis annum ejusdem Tiberii significare certo demonstrat. Quadragesimus autem septimus annus Antiochenus incipit anno Aerae Christi Vulg. 12. quo Tiberius tertium Imperii Proconsul. annum iniit.

43.) Doctissimus Card. Norisius *in Pisanis*

44.) *Cenotaphiis* cap. 16. §. 13. ostendit, in Silani Nummis designari annos Imperii Augusti in Syria, ac apud ipsam Syriae Metropolim Antiochiam. Augustus die 2. Septembris ann. Urbis Cond. 723. navali proelio apud Actium Antonium & Cleopatram superavit, statimque post Victoriam, partem classis in Syriam misit, ut hujus quoque Provinciis in potestatem redactis, hostem intra Aegyptum clauderet. Vide Plutarchum *in Antonio*, ubi narrat, Cleopatram, post cladem Actiacam, celeri fuga Alexandriam advectam, jussisse naves ex mari Mediterraneo per Isthmum in Arabicum sinum transportari. Dio initio libri 51. scribens de Regibus, qui Antonio suppetias ante pugnam Actiacam tulerunt, habet: *sed & ipsi, & omnes Populi, qui ante etiam*

INDICULUS TABULAE I. SAECULI I.

Romanis subditi erant (hos inter vero censebantur Antiocheni) , *pars statim*, *pars post pacis conditiones a Caesare acceperunt*. Hinc patet, Antiochenos statim post victoriam Actiacam ad partes Caesaris defecisse . Itaque Antiocheni , qui hactenus sub Imperio Antonii Triumviri fuerant, eodem victo, ad Caesarem deficientes, annos Imperii ejusdem Caesaris Augusti apud ipsos in Syria ab autumno an.U.C.723.numerare coeperunt.Id laudatus Card.Norisius inDissertatione III.*de Epochis Syro-Macedonum* pag.262.ex Nummis Antiochenis,ac proximis Seleucensibus a nobis exhibitis in hac Tabula I. Saeculi I. numeris 43. & 44, luculenter ostendit. Sunt ambo (inquit col. 263.) Nummi Tiberii. Prior servatur in Museo Mediceo ex locupletissima collectione Cardinalis Leopoldi, idemque visitur Mediolani in Cimeliis Septalianis . Inscriptio anticae partis habet, ΚΑΙΣΑΡ ΣΕΒΑΣΤΟΣ ΣΕΒΑΣΤΟΥ,quae ita Latine redditur,*Caesar Augustus Augusti* filius. In alia parte legitur, Α. ΕΠΙ ΣΙΛΑΝΟΥ. ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. ΕΜ. *Anno primo*. *Sub Silano*. *Antiochensium*. *anno XLV*. Alter Nummus ejusdem Tiberii, cum eadem Epigraphe anteriori, cernitur in Cimeliis Illustrissimi D.Theodorici Bignonii.Postica inscriptio est (vide num.44.) Γ. ΕΠΙ ΣΙΛΑ-

ΛΑΝΟΥ. ΣΕΛΕΥΚΕΩΝ. ΖΜ. *Anno tertio. Sub Silano. Seleucensium. Anno XLVII. Tacitus libro* 2. *Annalium*, recensens gesta an. U.C. 770. C. Caelio Rufo, & L. Pomponio Flacco Coss. scribit: *Sed Tiberius demoverat Syria Creticum Silanum per adfinitatem connexum Germanico, quia Silani filia Neroni vetustissimo liberorum ejus pacta erat*. In utroque Nummo signantur anni Imperantis Tiberii, & anni insuper Epochae ab Imperio Augusti in Syria. Nam (prosequitur idem Norisius) ab Autumno an. U.C. 723. numerando annos 45. in Nummo Antiochenorum Mediceo obsignatos, erimus ad an. U.C. 768. quo, usque ad diem 19. Augusti primus annus Imperii Tiberii decurrebat, qui in eodem Nummo componitur cum anno Imperii Augustei in Syria XLV. Rursus numerando ab eodem an. U. C. 723. annos Imperii Augusti 47. in altero Nummo Seleucensium scalptos, deveniemus ad an. U. C. 770. quo, usque ad memoratam diem 19. Augusti annus Imperii Tiberii tertius labebatur, ut in eodem numismate notatur. Equidem nemo, nisi contentiosus ac vitilitigandi cupidus, negare poterit, illis literis A. in Nummo Antiochenorum, ac Γ in alio Seleucensium annum primum ac tertium principatus Tiberii significari. Ita laudatus Norisius. Verum in mea, & Patrui mei sententia,

INDICULUS TABULAE I. SAECULI I.

anno Olymp. 197. anno 3., U. C. 763., atque Aerae Christi Vulg. 10. circa finem mensis Augusti (ut Pagius refert) Tiberius paullo ante quam ex Germania Romam rediret(acceptis ab Augusto felicibus nunciis de Tiberiana expeditione) ab eodem Augusto Proconsularis Imperii Collega factus est juxta Vellejum Paterculum; cui major in hoc fides adhibenda est, quam Suetonio, & Dioni, quia ipse non solum vixit Tiberii tempore,sed etiam sub ipso militavit in expeditione Germanica hoc anno facta. Quare Epochae Tiberianae principium hinc desumendum est, ut antiqui SS. Patres existimarunt, non ab Augusti morte, post tres annos sequuta (nempe juxta nos anno Vulg. Aerae 13.)

45.) Nummus Augusti, quem vide apud
46.) Begerum vol.2.p.604. Gessn.Tab.30. n. 15. Card. Noris. vol. 2. pag. 266. Patinum pag. 37. Thesaur. Reginae Sueciae Tab. 45. num. 40. Vaillant. de Coloniis Graec. pag. 3. item in Museis Theupoli tom. 2. pag. 830. & seq. & Musellii Tom. III. pag. 53. Tab. 9. in serie Nummorum Graecorum num. 8. Inscribitur ΚΕΣΑΡΙ ΣΕΒΑΣΤΩ *Caesari Augusto*. Caput Augusti laureatum. In aversa vero parte ita legitur: ΑΡΧΙΕΡΑΤΙΚΟΝ ΑΝΤΙΟΧΕΙΣ. ΖΚ. Harduinus pag. 50. hanc epigraphen

phen exponens, ait: *Summum apud se Sacerdotium residere Antiochenses priore illo vocabulo gloriantur: se penes unos jus esse eligendi eum, qui sacris totius Provinciae communibus faciendis* (τὰ κοινὰ τῆς ἐπαρχίας *appellabant*) *Praeses foret, & Ἀρχιερεύς. Hunc Augusto ipsi honorem deferunt*; quod postremum ex anticae partis epigraphe ejusdem Nummi colligitur. Haec tamen interpretatio Norisio nullatenus probatur. Nam (inquit) unde Vir Cl. novit Antiochenos jus sibi usurpasse eligendi Pontificis, qui totius Provinciae Syriae sacris praesideret? In Asia ProconsulariX. Pontifices in communi provinciæ concilio nominabantur, ex quibus Proconsul unum quotannis designabat, qui vulgo Asiarcha appellabatur, uti tradit idemmet Harduinus pag. 423, viginti versibus ad verbum exscriptis ex notis Henrici Valesii in cap. 15. lib. 4. Hist. Eusebii Caesariensis. Cum anno U. C. 741. mortuo Lepido Pontifice Maximo, Imperator Caesar Augustus Pontificatum Maximum accepisset, Antiocheni, quo publicam (ob novam Principi delatam dignitatem) laetitiam exprimerent, auream coronam quotannis ad Augustum mittere decreverunt. Id munus vulgo *aurum coronarium* dicebatur, quod & στεφανικὸν ab Ancyranis appellatum Suidas testatur. Et quidem coronae aureae initio ob victo-

INDICULUS TABULAE I. SAECULI I.

ctorias Romanis Ducibus a foederatis Urbibus, amicisque Regibus offerebantur. Postea vero eaedem coronae, ob Caesarum adoptionem, sive ob susceptum Imperium, Romanis Principibus mittebantur. Capitolinus de Imperatore Antonino Pio cap. 4. scribit: *Aurum coronarium, quod adoptionis suae causa oblatum fuerat, Italicis totum, medium Provincialibus reddidit*. Ita Antiocheni auream Pontificiam coronam ob Summum Pontificatum Augusto delatum eidem honoris gratia decreverunt, quod donum ΑΡΧΙΕΡΑΤΙΚΟΝ suis in Nummis inscripserunt, itaut integra utriusque partis Nummi epigraphe sit: Coronam *Pontificiam Antiochenses dicant Caesari Augusto, Pontifici Maximo*. Et sane ubique Romanarum gentium, diem Summi Pontificatus Imperatori delati eximio cultu celebratum colligimus ex veteri Inscriptione Gruteri pag. CCXXVIII. 8. in qua dicuntur Cenetenses publica Sacrificia, ac plebi esculenta decrevisse:

VI. IDVS . MARTIAS . QVIA . HAC . DIE
TI. CAESAR. PONT. MAX.
FELICISSIME CREATVS EST

Denique, quod ad institutum facit, in inferiori Nummi area obsignatae visuntur ZK, id est *Anno XXVII.* videlicet imperii Augusti in Syria, qui coepit ab Autumno an. U.Condit. 749. Im-

Imperatore Caesare Augusto & L. Cornelio Sulla Coss. Harduinus in gemino Nummo Collegii Claramontani pag. 51. legit: ΑΡΧΙΕΡΑΤΙΚΟΝ ΑΝΤΙΟΧΕΙΣ. ΖΚ. & binas postremas literas suspicatur, *Senatus Consultum* exprimere. Ceterum, ait, vix se posse credere, Antiochenses, imperante Augusto, dixisse, aut scripsisse, Σενατυς Κονσυλτω; cum Graece dicendum fuisset, Συγκλήτου δόγματι. At Nummus Mediceus pulcherrimae atque integerrimae caelaturae, ut & alter in Museo Serenissimi Principis Ludovici Augusti Borbonii Ducis Cenomanensis, palam praeferunt literas ΖΚ. Nicolaus Toinardus Nummariae eruditionis callentissimus, Emin. Norisio per literas testatus est, easdem omnino numerales notas in laudato numismate Collegii Claramontani scalptas apparere; quamvis prior litera Ζ, ob superiorem lineam defectu scalpturae duas in partes dissecta, minus accurate Nummum inspicienti, literae Σ speciem aliquatenus praeferre videatur. In Regia Gallorum Gaza alter ejusdem Augusti Nummus visitur, retrorsus inscriptus: ΑΡΧΙΕΡΑΤΙΚΟΝ ΑΝΤΙΟΧΕΙΣ. ΗΚ. nempe: *Anno* imperii Augusti in Syria *vicesimo octavo*. Hunc Nummum Harduinus pag. 50. omissa Epocha recenset. Praeterea in Cimeliis Illustrissimi & Excellentissimi D. Johan-

INDICULUS TABULAE I. SAECULI I.

hannis Dominici Theupoli Veneti Patricii ac veterum numismatum studiosissimi, servatur alius ejusdem Augusti Nummus, cum iisdem hinc inde inscriptionibus; sed annorum numerus ita obsignatur, ΘK. videlicet *Anno XXIX.* qui coepit ab autumno A. U. Romae 751. Denique idem Card. Norisius Florentiae in scrinio Apollonii Bassetti Serenissimo Magno Etruriae Duci a Secretis, vidit Nummum Augusti cum eadem utrinque epigraphe, necnon inferius litera numerali Λ. qua *annus* Imperii Caesaris Augusti in Syria *trigesimus* indicatur. Ex his patet Antiochenos quotannis memoratum honorem Romano Principi detulisse, ejusque etiam memoriam ære perenni ad posteros transmisisse.

47. Hic nummus percussus fuit Praeside Syriae Saturnino (an. ΕΛ) (XXXV.) sub quo Census actus in Syria. Diximus Christum natum A.U.C. 748. Tertullianus, ut Christi carnem, nativitatem, & res gestas a Servatore nostro vindicet a Marcionis blasphemiis, ostendatque omnia reipsa evenisse, provocat libro 4. adversus ipsum Marcionem ad eundem Censum peractum, appetente auspicatissimo tempore Nativitatis, atque de eodem Augusti Censu ita ait cap. 19. *Sed & Census constat actos sub Augusti tunc in Judaea per Sentium Sa-*

Saturninum, apud quos genus inquirere potuissent. Hoc Tertulliani testimonio mirifice confirmatur sententia de Natali Christi an. U C. 748. nam hoc adhuc anno Sentius Saturninu. (in Syriam missus post Marcum Titium an. Us C. 746.) Provinciam regebat. Josephus lib. 16. *Antiquitatum* de eo saepius mentionem instituit, & initio lib. 17. cap. 1. appellat *Saturninum Syriam Procurantem*, & cap. 2. rursus meminit *Saturnini Rectoris*. Emin. Norisius, cum in Dissertatione 2. cap. 16. §. 10. *de Cenotaphiis Pisanis* scripsisset, Sentium Saturninum A.U.C. 746. Praesidem Syriae fuisse, ibidem §. 71. addidit, Quintilium Varum anno U. C. 750 Legatum Augusti in Syriam venisse. At, ex nummis ejusdem Vari (a nobis exhibitis in hac Tabula I. numeris 23. 24. & 25.) apud Antiochiam scalptis, constat, illum jam ab A.U.C. 748. Syriam administrasse. Itaque in Dissertatione III. *de Epochis Syromacedonum* pag. 265. Edit. Veron. idem Card. Doctissimus palinodiam cecinit, scribens: ea mihi Praesisidum Syriae Chronologia erronee (*in Cenotaphiis*) descripta, ita reformanda est, ut, Agrippa anno U. C. 741. ex Syria in Urbem revocato, M. Titius eandem Provinciam cum imperio tenuerit, cui successor postea missus est ab Augusto C. Sentius Saturninus: neutrius

INDICULUS TABULAE I. SAECULI I.

INDICULUS TABULAE I. SAECULI I.

vero regiminis annos definire ausim, ne iterum in anachronismos incidam. Hoc scio, Quintilium Varum A. U. 748. fuisse Legatum Propraetorem Syriae, ac duobus insuper annis insequentibus. Tacitus lib.5. *Historiae* ait: *post mortem Herodis, nihil expectato Caesare, Simon quidam regium nomen invaserat. Is a Quintilio Varo obtinente Syriam punitus, & Gentem coercitam Liberi Herodis tripartito rexere.* Quae prolixius describit Josephus lib.17. *Antiq.* cap. 12. Quare, si quo anno mortuus est Herodes Ascalonita, Quintilius Varus Syriam Praeses obtinebat, sub eodem pariter Praeside Syriae Christus Dominus natus est: nequit enim ejusdem Natalis citra A. U. 748. retrahi. Vellejus Vari socordiam atque avaritiam carpens, scribit, *Varus Quinctilius illustri magis, quam nobili ortus familia.*

48. Nummus Vespasiani. Caput ejus laureatum cum epigraphe IMP.CAES.VESPASIAN. AVG.P.M.TR.P.P.P.COS.III. in postica parte legitur IVDAEA CAPTA S.C. Palma arbor, a dextris Imperator stans, & congeries armorum, a sinistris mulier sedens super arma in modum flentis. Vide Bellorium pag. 62. num. 13. Erizzo pag. 243. Gessn. Tab. 56. num. 32. Mediobarbum pag. 112. Theupolum Tom. 1. Mus. antiq. Numism. pag. 416. & Museum Musellia-

lianum Tom. 3. pag. 79. num. 1. & ſeq. Imperator Caeſar Veſpaſianus fuit Conſul tertium anno Aerae Chriſti Vulgaris 71. quo Kalendis Julii una cum Tito ejus Filio triumphum egit de Judaea ſubacta. Conſule *Chronicum* ad eundem annum col. 74. In eodem Triumpho Captivi ducti ſunt duo Factionum praecipuarum Auctores, Simon, & Joannes, cum ſeptingentis Judaeorum electis: ac tum Jani Templum fuit cluſum a Veſpaſiano, qui illud Pacis extruere hoc anno aggreſſus eſt. Reliquis Judaeae Caſtris expugnatis, ac ipſa Judaea vendita, Emaus, vocata eſt Nicopolis, & Caeſarea maritima, Metropolis Judaeae univerſae facta. Tumultuantibus autem Alexandriae Judaeis, juſſu Veſpaſiani eorum Templum, dictum *Onion* ab Onia Pontifice, Lupus Praefectus excidit a fundamentis. Ita Petavius, & Stampa ex Joſepho lib. VII. *de Excid. Hieroſolymit.* cap. 34. & ſeq.

49. Anaglyphum Aquilejae ſervatum, in quo legitur, INNOCENTI SPO (fortaſſe SPIRITO) QVEM ELEGIT DOMINVS. PAVSAT IN PACE FIDELIS X. KAL. SEPT. SEPTEMBRIS. Menſis SEP. nomen mendoſe repetitum a lapicida. Neophytum heic habes, ideſt puerum in Baptiſmali vaſe poſitum, hinc Epiſcopo, inde Patrino ſociatum, ſuper

INDICULUS TABULAE I. SAECULI I.

quem Spiritus Sancti gratia sub specie columbae figurata descendit.

50. De multitudine SS. Martyrum innumera exstant monumenta in Cryptis Romae reperta. Relata est haec Inscriptio a Bosio, deinde ab Aringhio lib. III. *Romae Subterraneae* cap. 23. & postremo a Boldetto lib. I. cap. 44. pag. 233. *Osservazioni sopra i Cimiterj*, in qua S. Marcellae & 550. Martyrum corpora in S. Hermetis Coemeterio deposita fuisse legitur. Innumerabiles pene Martyres exstitisse, praesertim sub Nerone, Trajano, Antoninis, Severo, Maximino, Decio, Valeriano, Diocletiano, & Maximiano, satis superque a Ruinartio, Natali Alexandro, & Mamachio Viris Clarissimis probatum est adversus Dodvvellum, aliosque, qui ei adjunxerunt assensionem.

51. In Persecutionibus, quae, ut dictum est, adversus Christianos ab Impp. fuerunt concitatae, praesertim a Nerone, Domitiano, Trajano, Hadriano, Antonino Pio, Marco Aurelio, Septimio Severo, Maximino, Decio, Valeriano, & Diocletiano, innumeros pene Martyres extitisse, non solum a SS. Patribus, sed ab Ethnicis etiam Scriptoribus fuit sempiternae hominum memoriae commendatum. Passim nostri ad necem quaesiti, & mactati, gregatim

tim quandoque in Coemeteriis eidem tumulo contradebantur. Hic lapis, quem illustramus, Martyris Ruffini, aliorumque 150. loculo (vel cubiculo) appositus, rem palam facit, & multitudinem Martyrum comprobat admirandam, ostenditque quam magnis in erratis versetur Dodvvellus, & qui ei adjunxerunt assensionem.

52. Epitaphium Gordiani Martyris, erutum ex Coemeterio S. Agnetis, atque editum ab *Aringhio* nostrae Congregationis Oratorii Presbytero *Romae Subterraneae lib. III. cap. XXII. Tom. I. pag. 599.* Insigne, ac fortasse unicum est, in quo habeatur specimen veteris Gallorum scripturae, *qui in publicis privatisque rationibus*, ut scribit Julius Caesar *in Commentariorum libro VI, Graecis literis utebantur*: quod quidem patet ex specimine autographo, in quo literae Graecae Runicis insertae sunt. Hoc Epitaphium ita legit laudatus Aringhius: *Hic Gordianus Galliae Nuncius jugulatus pro fide cum Familia tota. Quiescunt in pace. Theophila ancilla fecit.* Haereo (inquit Mabillonius *in Itinere Italico* pag. 139.) an legendum sit *Theophila*, an potius *Tiphila*. Vide eundem Aringhium (qui plura habet de hoc Gordiano), Boldettum pag. 233. num. 4. & Mamachium *Originum & Antiquitatum Christianarum Tomo I. pag.* 460.

53. Mar-

INDICULUS TABULAE I. SAECULI I.

53. Marmor erutum ex Coemeterio Lucensi, cui nomen *Cella Sanctorum*. In Vita S. Paulini, edita a Doctissimo Francisco Maria Florentinio anno 1701. in Opere, quod inscripsit, *Hetruscae pietatis origines, sive de prima Tusciae Christianitate*, pag. 229. & seqq. mentio habetur hujus S. Antonii, *qui sepeliebat corpora SS. Martyrum sub Nerone Imp.* Post narrationem namque Martyrii ejusdem S. Paulini, ita legitur: *Hoc audiens gloriosus Christi Confessor, & Presbyter senex Antonius, venit noctu cum B. Valerio, & Victore, & Luciano, & multis aliis Christianis, & rapuerunt preciosa Corpora Sanctorum, & cum hymnis, & laudibus sepelierunt ea noctu. Corpora vero SS. Martyrum Paulini, & Severi, atque Theobaldi secrete, mirifice sepulta sunt in Sarcophagis mundis & novis in Civitate Lucana in Ecclesia S. Trinitatis a meridie in parte Orientis. Alia vero sepulta sunt non multum longe ab eo loco, in quo decollati sunt. Sed non post multum temporis ad Ecclesiam S. Trinitatis translata sunt, & ibidem mirifice sunt collocata.* In Vita quoque S. Antonii, edita ab eodem Florentinio pag. 245. ex Codice scripto post annum millesimum ducentesimum, qui ad Ecclesiam pertinet memorati S. Paulini Civitatis Lucensis, haec Auctor ejus Anonymus literis

teris commendavit: *Beatus vero Antonius Divino spiritu indutus, & gratia Christi repletus, ubicumque in Thuscia, alibique SS. Martyrum, & Confessorum Corpora inveniret male & inepte sepulta, accipiebat illa, & deportabat in Lucanam Civitatem, ad locum sepelienda, qui tunc vocabatur temporis*, Sanctorum Cellula: *In qua multa & innumerabilia ipse sepelivit. Specialiter sepelivit in hac Ecclesia Corpus B. Paulini primi Lucani Episcopi, qui fuit Discipulus B. Petri Apostoli.... In quanamque Ecclesia multa sepelivit SS. Martyrum, & Confessorum Corpora Beatus Antonius splendida. Aliquando enim per totam Thusciam Sanctorum Corpora recolligebat, & cum magna devotione, & laude ad Lucanam Civitatem in Ecclesia, quae tunc S. Trinitatis vocabatur, & modo S. Paulini nominatur, ea sepeliebat*. Lucenses, Florentini, Fesulani, atque, uno verbo, fere Etrusci omnes, Paulinum & Petri Apostoli Discipulum, & Euangelii praeconem sibi fuisse contendunt. Consule Baronium ad an. 46. num. 2, Joannem Lamium *de eruditione Apostolorum* cap. XI. pag. 190, & Petrum Fogginum *de Romano D. Petri itinere & Apostolatu* Exercitat. 14. pag. 289. Quidquid de Origine Ecclesiae Lucensis sit, negare non ausim, aliquos sub Nerone ibidem vixisse, qui audissent de

de Chrifto, eumque colerent. Eos inter Antonium virum pietate confpicuum floruiffe,ajo, qui Corpora Sanctorum Martyrum fepeliebat, defaeviente Neronis Imperatoris perfecutione.

54. Sepulcralis ifte lapis ex Coemeterio S. Agnetis Via Nomentana effoffus eft. Gaudentius hic Theatri alicujus exaedificandi auctor exftitiffe videtur, cui tanquam illuftris Fabricae architecto, Civitatem aliquam dono fe daturum ille pollicitus fuerat: verum, re perfecta, velut Chriftianus apud Imperatorem delatus, Martyrium pro mercede fortitus eft: ad quod, ut fcribit Aringhius *Rom. Subter. lib. III. cap. XXII. pag. 603.*, conclufio fepulcralis iftius tituli alludere videtur. Verum fi res melius expendatur, haud quidem de Amphiteatro, quod a Vefpafiano erectum eft, loqui titulum arbitramur. Et forte de Domitiano Vefpafiani filio, & Titi fratre loquitur lapis, cum ipfe Vefpafiani quoque nomine, ut ex numifmatibus patet, nonnunquam appellatus fit. Vide Cll. Viros Auguftinum Urfium Sacri Apoftolici Palatii Magiftrum *in Hiftoria Eccl.* vernacule fcripta, & Thomam Mariam Mamachium *Originum & Antiquit. Chriftianarum Tomo I. lib. II. cap. VIII. pag.* 415.

55. Epitaphium S. Marculi Martyris Nepetae, una cum ejus Corpore inventum in Coe-

Coemeterio S. Sabinillae Matronae Romanae detecto an. 1540. cum Petrus Aloysius Farnesius Dux Nepesinus, ut Urbem illam moenibus communiret, antiquissimam Ecclesiam S. Tolomei Episcopi & Martyris solo aequavit. Paulus Papa III. eo se transtulit, ut ingentem Sacrorum Corporum numerum repertorum cultu debito prosequeretur, ac novam Ecclesiam exaedificaret; ut constat ex Bulla diei 8. Januar. 1542. relata ab Abbate Constantino Cajetano Tom. IV. *Vitarum Sanctorum anecdotarum*. ,, *Cum nuper*, (verba sunt Pauli III. Pont. Summi) *dum prope, & extra muros Civitatis Nepesinae foderetur, Altissimo id volente, quadraginta Sanctorum Martyrum Corpora, inter quae B. Tolomei Episcopi Nepesini, qui, dum in humanis ageret, Beati Petri Apostoli Discipulus erat, reperta fuere, qui, sub quondam Fidei Christianae tyranno Claudio Imperante, Martyrii palmam reportaverunt: &, quod mirabile dictu videtur, cum jam an.* 1500., *vel circiter effluxi sint ab eorum Martyrio, vulnera, & sanguis in aliquorum eorundem Sanctorum membris in eorum reperitione liquida apparebant, quae indicia ipsorum non levia Sanctitatis demonstrantur.... Datum Romae apud S. Petrum anno* 1542. *6. Idus Januarii Pont.* 9. In hoc autem Coemeterio, teste Nicolao

INDICULUS TABULAE I. SAECULI I.

Nardino in Differtatione Apologetica *fopra la Cattedra Vefcovale di S.Tolomeo di Nepi* cap.8. pag. 54. edit. Rom. 1677, Marculi tumulus inventus fuit, cum Infcriptione de qua loquimur. Vide Boldettum *Offervazioni fapra i Cimiterj &c.* lib.2. cap. 18. pag. 580. Nepefini, Apoftolorum opera majores fuos adductos ad Chriftum fuifse, deindeque multos ibidem fingulari opinione fanctitatis floruifse, & religionis caufa fanguinem fudifse, memorati Coemeterii luculento afserunt teftimonio. Nofter Paulus Aringhius libro IV. cap. 34. Tom. II. *Romae Subterraneae* pag. 340. fcribens de Coemeterio S. Valentini Martyris Via Flaminia, „ *In Actis* (inquit) *Beatorum Ma-* „ *rii, & Marthae, Valentinum recolendum* „ *Chrifti Martyrem fub Claudio Via Flaminia* „ *capite obtruncatum, ac facrum ejufdem Cor-* „ *pus a Sabinilla Matrona eadem Via honori-* „ *fice tumulatum fuiffe his quidem verbis le-* „ *gitur* „: *Decollatus eft autem Sanctus Valentinus Via Flaminia, fub die XVI.Kal.Mart.: cujus Corpus collegit quaedam Matrona Sabinilla, & fepelivit in eodem loco, ubi decollatus eft.* „ En Sabinilla, de qua heic in lapide.

56. Epitaphium Aproniani effoffum in Coemeterio Prifcillae, atque editum a Boldetto

to pag.462. Christiani principio non solum μαθηταὶ, hoc est *discipuli*, sed etiam πιστοὶ, vel πιστεύοντες, *fideles*, aut *credentes* vocabantur. Exstat Graeca vetus Inscriptio in Museo Kircheriano Collegii Romani RR. PP. Societatis Jesu (publicata a Viris Doctissimis Antonio Lupio ejusdem Societatis pag. 136. *Monum. S. Severae*, & P. Mamachio *Originum & Antiquitatum Christianarum* lib.I.pag.3.), quae Latine reddita, habet,

Fidelis ex fidelibus Zosimus hic jaceo, qui vixi annis duobus, mense uno, diebus quindecim.

57. Romae ex Coemeterio Praetextati. Epitaphium Felicis virginis Neophyti. Vide Muratorium *in Novo Thesauro Veterum Inscriptionum* pag. 1870. num.8.

58. Hunc lapidem, PECORII nomine, ac vase sanguinis insignitum, qui, ex Coemeterio SS. Processi & Martiniani Via Aurelia, in Porticum S. Mariae Transtyberim illatum est, ediderunt Lupius *de Epitaphio Severae Martyris illustrato*, §. 18. pag.181., Marangonius *in Appendice ad Acta S.Victorini* pag.161, Muratorius *in Novo Thesauro Antiquarum Inscriptionum*, atque Corsinius *in Notis Graecorum collectis & illustratis*. VII. Idus Julii *Pecorius* illatus dicitur in Coemeterium, depositus vero *postera die Marturorum*. Corpora Christia-

Ttt 2 norum

INDICULUS TABULAE I. SAECULI I.

norum non ftatim ac mortem obibant, tumulo contradebantur, ut ex innumeris Infcriptionibus liquet. Vide editas a Boldetto lib. 2. cap. 6. pag. 396. 398. 409. & a Muratorio *in Novo Thefauro Antiquar. Infcript.* pag. 1916. num. 4. Item *Differtationem Philologicam* Viri Clariffimi Francifci Victorii, *qua nonnulla monimenta facrae vetuftatis ex ejus Mufeo deprompta, aeri incifa Tabula vulgantur, expenduntur, illuftrantur.* In ea namque p. 40. fcribit: *diem* Depofitionis PECORII *certam ex* ejus *titulo* deprehendimus: depofitus enim dicitur, five tumulatus, *PECORIVS, vel POSTERA die, qua BENIT IN CIMITERO MARTVRORV, nempe die X. Julii, qua die Sanctorum Martyrum VII. Filiorum Sanctae Felicitatis memoria in Urbe folemnis recolebatur; vel, fi mavis, POSTERA DIE MARTVRORV, hoc eft XI. Julii, quae Feftum diem eorundem Sanctorum fequitur.* Etenim τὸ *MARTVRORV*, utrobique opportune fitum, inquit laudatus Lupius. Cl. Muratorius hoc Epitaphium *Pecori* illuftrans *Claffe XXV. Chriftianarum Infcriptionum* pag. 1922. fcribit, fi cum *Cimitero*; hoc eft *Coemeterio* conjungenda eft, ut plane videtur, vox *Marturoru*, ideft *Martyrum*, agnofcere hinc etiam poffumus, quantam Martyrum copiam complecterentur Romana Coeme-

meteria (nunc *le Catacombe* appellamus), quando ex eorum tumulis nomen accipiebant. Dodvvelli Anglici pro *Paucitate Martyrum* pugnantis opinioni, toties a Catholicis confossae, istud quoque monumentum objicias. Atque hinc praeterea discas, a vero deflectere, qui *depositionis diem*, pro die *obitus* accipiunt. *Pecorius* iste, sive Martyr fuerit, sive tantum Christi Fidelis, vita functus, in Coemeterium illatus est una die, atque altera D. P. hoc est *Depositus*, seu *Sepultus*. Ex Marangonio in tellexit, ibi repertum fuisse Vas vitreum.

59. Insigne hoc Epitaphium, erutum e Coemeterio SS. Gordiani & Epimachi, edidit, ante Cl. Muratorium, Vir de re antiquaria optime meritus Bonarrotius, in libro, cui fecit titulum, *Osservazioni sopra alcuni frammenti di Vasi antichi di vetro &c.* p. 167. Vide quae adnotavimus num. 7. hujus Tabulae. Vulgavit quoque Boldettus, sed mutilum, libro 2. cap. 13. pag. 490. *Sabbatium* rogant tumuli conditores, ut Deum exoret pro fratribus & sodalibus suis. En Christifidelium primitivorum fides, en veneratio perennis erga Sanctos Servos Dei, a blasphemiis Novatorum vindicata. Exstat apud eundem Bonarrotium alius lapis, in quo legitur, IVLIANE VIBAS IN DEO ET

ROga

INDICULUS TABULAE II. SAECULI I.

ROga &c. Boldettus lib. 2. cap. 7. pag. 418. ita edidit hanc Inscriptionem,

IOVIANE VIBAS IN DEO ET ROG.

INDICULUS

TABULAE SECUNDAE SAECULI PRIMI

SIGNATAE A. 3. A. 4. A. 5. A. 6.

1. *MVltifariam, multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis, novissime diebus istis locutus est nobis in Filio, quem constituit haeredem universorum, per quem fecit & saecula*(*Hebr.*cap.I.v.1.& 2.)Loquutus est ad Patres nostros in Veteri Testamento per Michaeam dicens: (c.5. v.2.)*Et tu Bethlehem Ephrata parvulus es in millibus Juda: ex te mihi egredietur, qui sit Dominator in Israel.* Itaque, cum exisset edictum a Caesare Augusto, ut describeretur universus Orbis, ob illam descriptionem factam a Syriae Praeside Cyrino, ut Judaeorum, qui Herodi socio Populi Romani parebant, capita censerentur, ascendit Joseph a Galilaea de Civitate Nazareth, in Judaeam, in Civitatem David, quae vocatur Bethlehem, eo quod esset de domo, & familia David; ut profiteretur cum Maria de-

desponsata sibi uxore praegnante (Lucae cap. 2. vers. 4. & 5.). Bethlehemiticum specum, in quo Servator noster pro nobis nasci dignatus est, Patres illustrarunt. Vide S. Justinum *in Dial.* pag. 303. & 304, Origenem lib.I. *contra Celsum* p.39, Eusebium lib.7. *Demonstr. Euang.* cap.2., S. Epiphanium *Haeresi* 51. §. 9, Chrysostomum *in Matthaeum* Homil. 8. pag. 89. & Hieronymum *de locis Hebraicis* pag.276. & Epist. 17. ac 27. pag. 126. & 172. Admirabilem providentiae ordinem in Prophetiis adimplendis interim suspiciamus. Scriptum erat Michaeae V., Christum in Bethlehem nasciturum. Incarnationis Mysterium in Nazareth adimpletum erat; cum repente Ethnicus Imperator jubet Censum fieri, quo tenetur Joseph & Maria in Bethlehem proficisci, & ibidem adesse eo signanter momento, quo Jesus in lucem erat proditurus. Hoc ostendit egregie supremum Dei Imperium, & quomodo penes illum temporum omnium; atque eventuum dominium sit, ut animadvertit S. Jo. Chrysostomus *in Matth.* Homil. 8. p. 95. Heic Bethlehem Civitatem damus, sitam in clivo collis, milliaribus sex ab Jerusalem ad meridiem, ex Musivo Sixti Papae III., quod Romae visitur in parietinis Sacrosanctae Basilicae Liberianae. Vide *Chronicum* pag. 5.

2. DEI-

INDICULUS TABULAE II. SAECULI I.

2. DEIPARAE VIRGINIS ANNUNCIATIO ex eodem Musivo. Vide *Chronicum* pag. 5. In Urbe Nazareth, quae minima erat Tribus Zabulon, in Galilaea inferiori, ad occasum Thaboris, & ad Orientem Ptolemaidis, milliaribus XV. juxta Eusebium, a Legione sita, VERBUM DEI factum est. Auctor libri *de nominibus Hebraicis*, apud Hieronymum Tom. VIII: *Est Nazareth viculus in Galilaea juxta montem Thabor, unde & Dominus noster Jesus Christus Nazarenus vocatus est, habetque Ecclesiam in loco, quo Angelus ab B. Virginem euangelizaturus intravit*. Et Auctor *de Locis Sanctis* apud Bedam Tom. III: *Nazareth muros non habet, sed magna aedificia, duasque grandes Ecclesias. Una est in medio Civitatis, ubi quondam fuerat domus, in qua Dominus nutritus est infans: altera vero est Ecclesia, ubi domus erat, in qua Angelus ad Beatam Virginem venit*. Meminit Euangelium solius Angeli Gabrielis, in Urbem Nazareth a Deo missi ad Mariam Virginem, regio Davidis genere exortam, & Josepho Viro justissimo ex regia pariter Davidis stirpe genito desponsatam. Quare alii Angeli in Musivo Sixtino repraesentati, Spiritui Sancto supervenienti in integerrimam Virginem chorum ducunt, ac famulantur individuae Trinitati, quae operabatur Verbi Incarnationem.

3. CHRI-

3. CHRISTI DOMINI ADORATIO in cunabulis, ex insigni Sarcophago effosso prope Ecclesiam S. Sebastiani extra Urbem, de quo consulendus est Doctissimus Praesul Joannes Bottarius in egregio Opere inscripto, *Pitture e Sculture &c.* Vide etiam Aringhium Tom. I. p. 616. & *Chronicum* ad ann. 5. ante Aeram Christi Communem pag. 7. Josephus, qui Bethlehem Nazaretho una cum intemerata Sponsa discessit, Bethlehemumque, ut profiteretur, contendit, eo ut pervenit, hospitio a nemine exceptus, coactus fuit in stabulo quasi in diversorio morari. Ibi, cum Maria Puerum peperisset, reclinavit infantem in praesepio, quod nacta in stabulo est, causa requietis. Porro stabulum illud, non sub dio positum, sed in rupe excisum erat, juxta veteres Patres: receptaculum tamen ligneum, Puero excipiendo aptum, continebat, quod Romae hodieque adservatur in Sacrosancta Basilica Liberiana. Vide Dissertationem Francisci Blanchini Patrui mei amantissimi *de Translatione Sacrorum Cunabulorum, ac Praesepis Domini &c.* in Tomo III. *Anast. Bibl.* p. 109. & seqq. ubi docet, Praesepe, & Cunabula Christi Domini ex Palaestina Romam fuisse translata, & in Basilicam S. Mariae Majoris recondita medio Saeculo Christi septimo, eo

INDICULUS TABULAE II. SAECULI I.

annorum intervallo, quod est inter annum 640. & 650. sub Pontifice Theodoro I. Praesepis nomine intelligitur portio saxi illius, ex quo constabat PraesepeChristi recens nati. Receptaculum, insculptum erat in rupe antri, seu speluncae, ubi Christus natus est. *Cunabula* Latine, σπάργανα Graece, esse fascias, pannos, retinacula, cunas, & hujusmodi Christi recens nati ac infantis supellectilem, non dubium est. Duobus ab hinc annis ego primus omnium Deo Optimo Maximo opitulante detexi in una tabularum sacrorum Cunabulorum insignem quandam Graecam Inscriptionem, quae translationis tempus a Patruo meo constitutum mirifice illustrat. Omnium oculos fugerat, quoniam ipsis, ut mihi (in magnificentissima Sacrosanctae Basilicae instauratione) sacra nostrae Redemptionis pignora manibus attrectare, longitudinem, latitudinemque asserum metiri, ac stylo plumbeo formam eorum exprimere non datum fuit. Bos, & Asinus, in sarcophago quem illustramus, apparent; &, an allegorice tantum, ut visum aliquibus Criticis hominibus est, an etiam *fide historica*, ut Basnagius ipse adversus Casaubonum profitetur ad an. 5. ante Dom. §. 21. (quoniam *allegorica explicatio in historia nititur*) viderint eruditi apud Calmettum, aliosque recentiores. S.Hie-

S. Hieronymus in Epiſtola *ad Euſtochium* 27. cap.4. de Paula ſcribit, *inde Bethlehem ingreſſa in ſpecum Salvatoris introiens, vidit ſacrum Virginis diverſorium, in quo* agnovit Bos poſſeſſorem ſuum, & Aſinus praeſepe Domini ſui, *ut illud impleretur, quod in eodem Propheta ſcriptum eſt*, Beatus, qui ſeminat ſuper omnes aquas, ubi Bos, & Aſinus calcant. Similia habet S. Petrus Chryſologus *Serm.* 159. *Regem Chriſtum appoſitum ante duo prophetica illa jumenta admirantur Magi.* Conſulantur etiam S. Gregor. Nazianzenus *Orat.* 38, S. Paulinus *Epiſt.* 11, & Prudentius *in Cathem.* Eccleſia in precationibus Nativitatis Domini ait: *O magnum Myſterium, & admirabile Sacramentum, ut animalia viderent Dominum natum jacentem in praeſepio.*

4. Sum in ea Veterum Scriptorum ſententia, Sanctorum Puerorum internecionem biennio poſt natum Dominum contigiſſe: quae ex Euangelio inde probatur, quod Herodes *occidit omnes Pueros a bimatu, & infra.* Joſephus lib. I. *de Bello Judaico*, capite ultimo haec literis commendavit: *Atra bile correptus* (Herodes), *& ipſi quodammodo morti aliquid minitans, progreſſus eſt ad facinus teterrimum perpetrandum. Nam illuſtres totius Judaeae viros ex ſingulis viris collectos*, in locum, qui

 Hip-

INDICULUS TABULAE II. SAECULI I.

Hippodromus vocatur, concludi *jussit*. *Tum, accersita sorore Salome, viroque ejus Alexandro, novi*, inquit, *Judaeos morte quidem mea festos dies acturos; aliorum vero causa lugeri possum, & funus splendidum consequi, dummodo meis mandatis obsequi velitis. Hos autem viros in custodia habitos, simulatque animam exhalavero, militibus circumdatos omnes interficite, quo & universa Judaea, & singulae domus vel invitae mea morte illacrymentur*. Paullo post, nec morbi cruciatus, nec se ipsum ferre valens, sibi ipsi manus inferre conatur. Adnotat autem Josephus de iisdem agens lib. 17. *Antiquitatum*, Regem *similiter in omnes insontes, sontesque saevisse*. Igitur est admodum verisimile postremis furentis Tyranni diebus perpetratam fuisse Bethlehemiticam lanienam. Mirum sane est, inquit Calmetus *in Commentario* in S. Matthaei cap. 2. vers. 16, Josephum, qui historiam suis sedulo convestitam circumstantiis de Herodis vita conscripsit, ne verbum quidem de Innocentium caede fecisse. Videtur tamen Nicolaus Damascenus, cujus Commentarios Josephus secutus est, factum hoc praeteriisse, Herodis nomini sane indecorum. „Sed illud (inquit Doctissimus P. Thomas Vincentius Monelia in Dissertatione *de annis Jesu Christi Servatoris* cap. 3. §. 2. pag. 30.)

pag. 30.) in primis dignum eſt quod animadvertatur, crudeliſſimum Tyrannum, quinto ante mortem die, filium ſuum Antipatrum interfeciſse, quod de patris morte, quam accidiſse arbitrabatur, laetaretur, & Rex nullo negotio futurus ſibi videretur, multa pollicitus carceris cuſtodi, ut libertate, & Regno potiretur. Antipatrum, jubente patre, necatum quinto ante obitum die, tum ex libris de Bello, tum ex Antiquitatibus intelligimus. Itaque circa Martii initium Antipater periit (juxta Moneliam anno U. C. 751.). Verum qui filium capitis damnavit, ne regno, quod ſperabat, augeretur, annon eos quoque interfici tunc juſserit, de quibus idem olim judicium ferri poſset? Crediderim necatos tunc cum Antipatro Pueros Bethlehemitas, quandoquidem inter illos natus ferebatur Rex Judaeorum, ut conſtat ex ſacra Magorum Hiſtoria. Eo igitur tempore conſimili ex cauſa necati videntur; ne ſolus infelix pater haberetur. Quod autem hactenus conjectura dumtaxat aſsequimur, id tantum non compertum dici poſſit, cum ad Auguſti verba, & Macrobii (Ethnici, ut cum Fabricio cenſemus, Scriptoris) teſtimonium, animum adjungimus. *Auguſtus*, ut Macrobius memoriae prodidit lib. 2. *Saturnalium* cap.4. *cum audiſſet inter Pueros (quos in Syria He-*

INDICULUS TABULAE II. SAECULI I.

Herodes Rex Judaeorum intra bimatum jussit interfici), *filium quoque ejus occisum* , *ait*, *melius est Herodis porcum esse, quam filium*. Haec quidem scite, ac festive Caesar, cum Judaeis suilla vesci nefas esset. Adeo praeclarum de caesis Pueris bimulis, cladisque tempore testimonium obliteratum foret, nisi in Macrobii Libris superesset. Herodis filius, de quo Augustus, & Macrobius loquuntur , eodem tempore necatus est, quo SS. Infantes, quamquam ipse natu grandior; nec alius fuit quam Antipater. Liberos antea quoque obtruncari jusserat immanis Pater; sed duo simul fuerunt, non unus, idque contigit Sentio Saturnino Syriae Praeside, neque eo tempore patrata est caedes Bethlehemitica, ut omnes fatentur. Exploratum est igitur, tunc peractam esse, cum Herodes furiis actus, & crudelitate, ultimo supplicio affecit Antipatrum, omnesque gladio sublatos voluit Pueros, qui Archelao in Regni successione negotium facessere aliquando possent. Cum ergo ineunte Martio consignanda sit caedes Antipatri, tunc quoque caesos Infantes Bethlehemi verisimillimum existimamus. Mirum autem dictu est, quam recte omnia se habeant in hac, si ita vocanda sit, hypothesi. Caedes Bethlehemitica biennio circiter perpetrata est post primam phasin

phasin stellae a Magis visae: Herodes enim occidit, teste Euangelista Matthaeo cap. 2. *Pueros a bimatu & infra, secundum tempus, quod exquisierat a Magis*; quod tempus diligenter scrutatus est, ut habetur capite eodem: *Herodes, clam vocatis Magis, diligenter didicit ab eis tempus stellae, quae apparuit eis*." Haec laudatus Monelia pag. 30., in cujus sententiam nos quoque descendimus, sed Herodis mortem (anno Urbis Conditae 749. post Palilia) diei 25. Novembris, non Martii initio illigamus. Multos Innocentes Pueros interfectos, in praecibus, quibus utitur Ecclesia eo die, quo eorundem memoriam celebrat, lego. Aethiopes in sua Liturgia, & Graeci in suo Menologio ajunt, quatuordecim Puerorum millia caesa fuisse. Quod ego non tam facile credam. Quis enim (inquit Sandinus in Historia *Familiae Sacrae* pag. 60.) sibi persuadeat, intra angustos Bethlehemi fines tot Pueros, omissis Puellis, in quas ab Herode saevitum non est, biennii spatio natos? Proinde recte Bollandus (Tom. I. Maji pag. 57. 1. & 59. 2.) tam magnum Infantium occisorum numerum ceteris Graecorum fabulis accensuit. Ecclesia eos semper ut Martyres coluit. Vide S. Irenaeum lib. 3. *adversus Hereses* cap. 18., Origenem *Homil. 3.* in diversos, S. Cyprianum *Epist. 56.*, S. Hila-

Indiculus Tabulae II. Saeculi I.

INDICULUS TABULAE II. SAECULI I.

larium cap. 2. *in Matthaeum*, S. Augustinum lib.3. *de libero arbitrio* cap.23. §.68., S. Leonem Magnum *Serm.*30. *de Epiphania*, & Sanctum Petrum Chrysologum *Serm.* 153. Vide *Chronicum* ad annum 5. ante Aeram Christi Communem pag. 7.

5. CHRISTI PRAESENTATIO, ex Musivo Sixti Papae III. adhuc superstite in parietinis Basilicae Liberianae. Exactis quadraginta ab ortu Christi diebus, Mariam Bethlehemo secedere, ac Hierosolymam (quo caeremoniis de purificatione puerperae lege praescriptis lustraretur) accedere oportuit. Puer, qui in lucem edebatur, si primogenitus erat, persolutis quinque siclis redimebatur (Exodi 13. vers.1. & seqq.). Non refert tamen S.Lucas, quomodo haec facta fuerit redemptio quinque siclorum oblatione. Postquam vero in Templum venit Maria, Annam Prophetiden, Simeonemque senem invenit, qui ambo multa de Puero, quem illa gestabat, praedixerunt, gratias agentes Deo, quoniam digni habiti sunt, antequam interissent, Redemptorem Israelis intueri. Euangelista testatur, pro purificatione sua obtulisse *par Turturum, aut duos pullos Columbarum* (ut visitur in Musivo); quae sane pauperum erat oblatio. An Simeon Sacerdos fuerit, parum compertum habeo. Vetustissimi

Pa-

Patres id certe non asserunt. Anna Prophetissa, quae perinde ac Simeon caelesti lumine illustrata Mariae filium suum offerenti supervenit, eum esse jamdiu exoptatum Salvatorem a Deo promissum, ac omnium Dominum professa est, atque palam omnibus fecit. Volumen in manibus gestat in Musivo, de quo agimus. *Vidua* erat *religiosissima* ut scribit S. Cyrillus Hierosolymitanus *Cathech.* 10. §. 19. *& asceticam vitam agens*. Nuptui enim anno circiter XII. collocata, viro post annum VII. vita defuncto, ad quartum & octogesimum cum insignis continentiae laude pervenerat, *ut digna plane fuisse videatur* (inquit S. Ambrosius in Lucam cap.2.), *quae Redemptorem omnium venisse nuntiaret*. Idcirco autem, referente S. Augustino *de bono Viduitatis* cap.7, *secundas nuptias recusavit, quia noverat jam tempus esse, quo Christo, non officio pariendi, sed studio continendi, nec conjugalibus foetandis visceribus, sed castificandis vidualibus moribus melius serviretur*.

6. FUGA IN AEGYPTUM ex eodem Sixti Papae III. Musivo. Nazaretho in Aegyptum (ut refert S. Lucas cap.2. vers. 39.) Joseph, & Maria, cum Puero Jesu, post peractum Hierosolymis legitimum Praesentationis, ac Purificationis ritum, aufugerunt. Hermo-

polim veniſſe prodit Sozomenus lib.V.cap.21. Alii aliter ſentiunt. De miraculis ab Jeſu Chriſto Aegyptum ingreſſo patratis conſulantur Euſebius lib. 6. *Demonſtrationis Euangelicae* cap.20., S. Athanaſius lib. 2. *contra Gentiles* pag.89., & Sanctus Cyrillus Hieroſolymitanus *Cathech.* 10. §. 19. Vide *Chronicum* ad annum 5. ante Aeram Chriſti Communem pag. 7.

7. REPERITIO CHRISTI IN TEMPLO INTER DOCTORES ex eodem Sixti PP.III. Muſivo. In Coemeterio quoque S. Agnetis Via Nomentana in Cubiculo II. Chriſtus duodennis cum Doctoribus Legis diſputans cernitur apud Aringhium Tom. II. *Romae Subterraneae* lib. IV. cap. 37. pag. 195. Hoc primitivi Chriſtiani picturis exprimere in ſacris Aedibus conſueverunt. Jeſus annos XII. natus, cum parentibus Nazaretho Hieroſolymam quotannis die ſolito Paſchae ire ſolitis venit, & clam illis in Urbe remanſit, atque in Templum aſcendit. Per triduum ſollicite quaeſitus, ibidem inter Doctores inventus eſt: qui cum de rebus religionis diſceptarent, ita cum iis egit, ut omnes tantam ineſſe in adoleſcentulo doctrinam mirarentur, quantam ne in doctiſſimis quidem Viris unquam agnoviſsent. Mariae, ac Joſepho captum triduo dolorem teſtantibus,

tibus, dixit, *nesciebatis, quia in his, quae Patris mei sunt, oportet me esse?* Reversus deinde Nazarethum, eisdem obsequentissime paruit, quoad attigit tricesimum aetatis annum. Vide *Chronicum* ad annum 7. pag. 25.

8. DOMINUS JESUS A JOANNE BAPTIZATUS. *Anno quintodecimo Imperii Tiberii Caesaris*, cum Pilatus Procurator Judaeae Provinciae esset, & Herodes Antipas Herodis Magni filius Tetrarchiam Galilaeae obtineret, Joannes Dei jussu profectus e deserto in Regionem adjacentem Jordani, ibidem praedicandi, & baptizandi munere fungi coepit, nuncians adesse Messiam, omnesque hortans, ut suorum criminum poenitentiam agerent: cumque *baptizaretur omnis populus*, etiam Jesus in Jordane baptizari voluit, cum esset *incipiens quasi annorum triginta*, ut S. Lucas testatur (cap. 3. vers. 23.). De Epocha tamen Imperii Tiberii Caesaris variae sunt ac discrepantes eruditorum hominum sententiae; & vox quasi, seu ὡσεὶ, quae in Graeco textu habetur, cum sit indefinita, ac anno undetrigesimo expleto perinde, ac trigesimo primo inchoato, accomodari possit, & trigesimo non repugnet, multae inde enatae sunt etiam de anno, quo Christus baptizatus est, Veterum Patrum, recentiorumque Historicorum opi-

INDICULUS TABULAE II. SAECULI I.

niones. Justinus Martyr altero Christi saeculo in Dialogo cum Tryphone, particulae *fere*, *circiter* (ὡσεὶ) vim innuit, scribens: *& triginta plus minus annis manens, donec prodiit Joannes ipsius praeco &c.* Vide ex Patribus Clementem Alex. lib. 1. *Stromat.* edit. Oxon. an. 1715. pag. 407., Tertul. in libro *adversus Judaeos*, Chrysostomum *in Matth.* Homil. 10., S. Augustinum lib. 2. *de Doctrina Christiana* cap. 28., & lib. XV. *de Trinitate* cap. 26. Ex recentioribus vero Baronium, Pagium, Tillemontium, Natalem Alexandrum, Moneliam, & Franciscum Blanchinum Patruum meum, in cujus sententia Jesus Christus anno Vulgaris Aerae 25. baptismo fuit perfusus. Aringhius Tom. 2. pag. 395. ectypon edidit antiqui Sarcophagi, ex Coemeteriis (ut ipsi videtur) effossi, in quo cernitur Praecursor, qui Christum Dominum baptizat in Jordane. Nostra icona ex pictura Cubiculi 11. Coemeterii Pontiani Via Portuensi desumpta est, quam exhibet idem Aringhius Tomo 1. p.381. & Tomo 2. pag. 527. In ea visitur Christus immersus in Jordanem (quo modo & alii a Joanne baptizabantur), ut innuit S.Matthaeus, dicens cap.3. vers.16. *Jesum baptizatum confestim ascendisse de aqua*. Et quidem hoc baptismi genus diu a primis temporibus in Ecclesia ob-

obſervatum fuiſse, conſtat ex Antiquorum Patrum traditione. Matthaeus, Marcus, & Lucas narrant, Caelos apertos eſse, Spiritum Sanctum in Columbae ſpecie deſcendiſse, vocemque aeterni Patris de Caelo auditam, dicentis, Jeſum eſse dilectum Filium ſuum, in quo ſibi valde placeret.

9. HERODIADIS HISTORIA, ex Muſivo Sixti Papae III. in Baſilica Liberiana S. Mariae Majoris quae dicitur ad Praeſepe. Regum dies, qua nati, & qua ad Regnum evecti fuerant, ſolemnibus conviviis celebrabantur; de quibus Oſeas loquitur cap.7. verſ.5. In his adduci fidicines, tibicines, & ſaltatrices in more erat, ut convivas oblectarent. Herodias non aderat in Aula convivii, cum Salome filia ejus ibi ſaltavit. Rex huic dixit, ut quod vellet, peteret, impetratura. Filia ſtatim ſe ex Aula proripuit; matreque conſulta quid ſibi eſſet a Rege petendum, in mandatis habuit, ut nihil aliud peteret, quam caput Joannis Baptiſtae. Contriſtatus eſt Rex propter jusjurandum, quod fecerat, dicens, ſe illi quidquid petiiſſet, conceſſurum. Imperavit ergo, ut Joanni caput amputaretur, & afferretur in diſco. Herodes Philippi fratris vivi uxorem in matrimonio habebat, patique nequiverat, ab Joanne id ſibi negari licere. Haec eſt cauſa veriſſi-

rissima, cur Herodes Joannem occidi jusserit, ut Euangelium prodit. Josephus libro 18. *Antiquitatum Judaicarum* cap. V. *al.* VII. p. 883. *Edit. Haverc.* haec habet: *Erant quidam e Judaeis, qui existimarent, Dei ira periisse exercitum Herodis, qui justas poenas ob interfectum Joannem cognomento Baptistam dabat. Hunc enim Herodes necari jussit bonum virum, Judaeisque praecipientem, ut virtutem colentes, justitiaque inter se, atque erga Deum pietate usi, ad baptismum accederent &c.* Mortis autem, hanc causam fuisse somniat idem Josephus pag. 884. *Metuisse* nempe Tetrarcham, *ne tanta* hominis *auctoritas ad defectionem quemquam incitaret.* Ast haec fortasse inanis ratio sparsa in vulgus ab Herode fuit, ut aliqua ratione admissum ab se facinus tegeret. Euangelio assentitur alter Josephus, nempe Gorionides cap. 63. *Historiae Hebraicae*, ut scite animadvertit Doctissimus Mamachius lib. 2. *Originum & Antiquitatum Christianarum* cap. 4. §. 3. Occisum namque Joannem scribit, *quod* Herodi *dixisset, illicitum tibi assumere uxorem fratris tui in matrimonium.* De primi Josephi loco paullo supra recitato sunt qui dubitent, genuinus ne, an spurius sit. At Origenes, aliique Veteres Ecclesiae Scriptores, Joannis factam ab Josepho mentionem fe-

ferunt. Literae HE supra hominis sedentis caput in nostro Sixti III. Musivo, HERODIS Tetrarchae nomen initiatum produnt. Digito ipse ostendit abscissi Joannis caput, affectans videri diligens in promissis, & constans in consiliis suis. In Romana legimus historia (referente Calmetto ex Sancto Hieronymo heic) Flaminium, ut pellici gratificaretur secum ad mensam discumbenti, (quae testabatur se nemini umquam caput abscindi vidisse) reum ad se trahi, & coram capite plecti jussisse. Quare censoriam notam tulit, fuitque ex albo Senatorum expunctus, ob inhumanitatem, qua convivio cruorem immiscuit. Vide *Chron.* ad an. 26. pag. 61. & ad an. 38. pag. 91.

10. SERMO DOMINI IN MONTE. *Multis ab hinc annis* (inquit Aringhius To. 1. *Romae Subterraneae* pag. 300.) *dum nova Basilica Vaticana extrueretur, insignis iste marmoreus Sarcophagus* (cujus pars media exhibetur num. 10. hujus 11. Tabulae Saeculi primi) *in lucem prodiit: qui postmodum in quodam horto prope Ecclesiam S. Marthae collocatus est. Sacris undique figuris peregregie nobilitatus, atque insignitus apparet,* (cujus iconem ipse Aringhius tribus Tabulis aeneis repraesentat). *In anteriori siquidem ejus parte imago illa in medio, quae monticulo insistit, unde quatuor Paradi-*

si

INDICULUS TABULAE II. SAECULI I.

si Terrestris flumina promanant, Christum Dominum repraesentat &c. Dominus autem una manu docentis in morem sublata, altera vero volumen apertum Paulo, ut creditur, porrigere videtur. Cur autem huic praecipue Apostolo ea poterit esse ratio, quod iste ante alios portaverit nomen Christi coram Gentibus, ac Regibus, & in verbo Dei promulgando plus ceteris laboraverit &c. Atque hinc non temere neque frustra imaginem ejus cum cruce humeris imposita veteres Christiani saepius expressere. Inferius denique vir ille & mulier, qui prostrati videntur ad pedes Domini & illum veluti adorant, esse credibile est, qui hanc arcam corporibus suis tumulandis olim extrui curarunt. Haec Aringhius. Quatuor flumina, quae ex crepidine montis emanant, symbolum videntur mihi quatuor Euangelistarum, quorum fluenta sapientiae & scientiae Dei in omnem Terram exierunt, & quatuor Orbis partes Apostolorum opera irrigarunt. Apparent quoque in aliis Sarcophagis Christianis remotissimae antiquitatis, atque in picturis Coemeterialibus quatuor isthaec flumina scaturientia sub pedibus Servatoris. Consule eundem Aringhium in Opere mox laudato Tom. I. pag. 281. 293. 295. 297. 301. 321. & 425., atque Aringhii illustratorem Doctissimum Bottarium. Neque vero

vero ſuppoſita imagini Chriſti ſolum, ſed Crucis etiam ſunt, quatuor flumina aquarum caeleſtis doctrinae, in Muſivis Operibus Chriſtianorum. Ita viſuntur in Cruce abſidis antiquiſſimae Baſilicae S. Clementis. Ejus autem Crucis ectypon exſtat apud Boſium lib. VI. *de Cruce Triumphante* cap. XI., de qua Ciampinus *Vet. Monumentorum* Tom. I. cap. 27. pag. 248., Gretſerus Tom. 3. Operis *de Cruce*, lib. I. cap. 33., & Bottarius *delle Pitture e Sculture della Roma Sotterranea* Tom. I. Tab. 30. pag. 118. Chriſtus, quemadmodum conſueverat, in montem inſtante nocte ſolus oratum aſcendit, & mane vocatis ad ſe Diſcipulis, duodecim ex eis delegit, quibus indidit nomen Apoſtolorum, moxque Sermonem habuit. Mulier, quae in hoc Sarcophago, ut in pleriſque aliis, cernitur, fimbriam Servatoris Chriſti tangens, videtur Mulier illa, quae ſanguinis fluxu laborabat. Quinque ectypa diverſa reperi ejuſdem miraculi a Chriſto Domino perpetrati apud eundem Aringhium Tom. I. pag. 329. 333. 427. 613. & 615. *Romae Subterraneae*. Apoſtolum vero, qui Crucem bajulat, Petri fratrem Andream puto; aut quemvis alium ex duodecim, tunc electis ad praedicandum eum qui regnaturus erat a Ligno Deus. Vide *Chronicum* ad annum 26. pag. 59.

Yyy 11. CHRI-

INDICULUS TABULAE II. SAECULI I.

11. CHRISTI MIRACULA, ex antiquissimo Sarcophago Vaticano effosso prope Ecclesiam S. Sebastiani, quod aeneis Tabulis vulgavit noster Aringhius *Romae Subterraneae* Tom. I. pag. 613. Visitur in eo Christi Domini Lazarum a mortuis excitantis imago. (Consule *Chronicum* ad annum 28. pag. 65.), atque idem Dominus, qui, ut famelicam in deserto turbam reficiat, panes divinitus multiplicat. (Vide iterum *Chronicum* ad annum 26. pag. 63. Cophinos autem una cum panibus cruce signatis exsculptos marmor exhibet. Revixit Lazarus, ligatis pedibus & manibus, atque involutus linteo, ut in schemate monumenti, quod hoc numero 11. exhiberi curavi. Eodem ferme modo repraesentatur etiam in aliis Sarcophagis Christianorum apud laudatum Aringhium, nempe Tom. I. lib. 2. cap. 10. pag. 313. 323. 335. libro 3. cap. 3. pag. 423. 427. & cap. 22. pag. 575. 615. Item in picturis, ibidem lib. 3. cap. 22. pag. 565. & Tomo II. pag. 25. 59. 67. 87. 101. 107. 109. 121. 183. 205. 269. 329. 331. & 541. In fundis quoque vitreorum vasculorum remotissimae antiquitatis, idem prodigium Lazari resurgentis exprimitur. Vide Bonarrotium *Osservazioni sopra alcuni frammenti di vasi antichi di vetro ornati di figure &c.* Tab. 7. num. 1. 2. & 3. ac Tab. 28. num. 2.

num.2. Item Boldettum *Osservazioni sopra i Cimiterj* lib. I. cap. 39. Tab. III. num. 5. pag. 194. & Cl. Virum Franciscum Commendatorem Victorium in Opusculo *de VII. Dormientibus* pag. 30. Consule etiam Bernardum Lamy lib. IV. cap. 36. *Harmon. Euangelicae* p. 415., & Joannem Jacobum Chifletium in Opusculo inscripto, *Christs Historica de linteis Christi sepulcralibus*, ubi habet multa quoque de fasciis, quibus Lazari corpus involutum fuerat in sepulcro. Miraculum pariter a Christo patratum in deserto Bethsaidae (cum, jam instante nocte, Apostoli ad eum accesserunt, ut populum, ex omnibus locis vicisque concursum, dimitteret, inque proxima oppida abire juberet, & victum quaerere (ne in deserto loco omnis fame consumptus interiret), majores nostri in multis sculptis lapidibus, atque picturis exprimendum curarunt, ut constat ex numquam satis laudato Aringhio lib. 2. cap. 10. pag. 289. 291. 297. 313. 325. lib. 3. cap. 3. pag. 449. & cap. 22. pag. 613. 615. & lib. 4. cap. 25. pag. 161. ac 163. Cernitur enim in eis Jesus, qui turbas a Discipulis dimitti nolens, hoc onus ipsis imponit, ut populo prospiciant, utque, ne fame pereat, curent. Puer ibi forte fortuna erat, qui panes quinque habebat hordeaceos (Matth. cap. 14. vers.

Yyy 2 15. &

INDICULUS TABULAE II. SAECULI I.

15. & feqq.), pifcefque duos. Nunciatum id Chrifto ab fratre Simonis Petri Andrea fuit. Sed is, fufficere eos ad quinque millium hominum multitudinem alendam, ne fufpicari quidem fe poffe dixit. Tum Chriftus, effe fibi curae, ut fint fatis, oftendit. Nam Apoftolis praecepit, ut turbas difcumbere juberent. Quod cum factum effet, Jefus, acceptis panibus quinque, duobufque pifcibus, in caelum fufpexit primum, tum gratias egit aeterno Patri. Panibus, pifcibufque divifis, partes Apoftolis dedit, ut tantum cuique eorum, qui confediffent, quantum quifque vellet, tribuerent. Ubi faturati omnes fuerunt, tum Jefus ad Difcipulos converfus, colligite, inquit, fragmenta ne pereant. Apoftoli, quod juffi funt, faciunt, collectifque quinque panum, & pifcium duorum fragmentis, duodecim ex eis cophinos implent. Haec ex Cll. Mamachio, & Aringhio. Quinque tantum cophinos fcalptor expreffit in Sarcophago, de quo loquimur; nec plures, ut plurimum, in aliis quoque Sarcophagis Chriftianis, atque Coemeterialibus picturis enumerabis. Idem dictum nolo de fchemate feptem panum, quibus quatuor millia Virorum fingulari prodigio Chriftus pavit (Matth. XV. verf. 32. & feqq.). Totidem enim fportae, fragmentis, quae fu-

superaverant, impletae, visuntur in anaglyphis,& picturis apud eundem Aringhium To. I. lib. 3. cap. 22. pag. 553. & 575. *Romae Subterraneae*, ac Tom. II. lib. 4. cap. 37. pag. 91. & 269. Exstat idem septem sportarum numerus & in vitro insignis Musei Victorii. Auro est bracteatum, atque in Coemeteriis Romae repertum. Editum fuit a Cl. Viro Francisco Commendatore Victorio tantarum antiquitatum possessore, in Dissertatione *de Vetustate, & forma Monogrammatis Sanctissimi Nominis Jesu* pag. 2. atque a laudato Mamachio *Originum, & Antiquitatum Christianarum* libro II. pag. 258. & 264. Tomi I. Vide *Chronicum* ad annos 25. 26. &c. pag. 57. 59. & seqq.

Indiculus Tabulae II. Saeculi I.

12.) PARABOLAE V. VIRGINUM, ET

13.) PASTORIS BONI, ex Tabula prima Cubiculi tertii Coemeterii S. Agnetis Via Nomentana, apud Aringhium Tomo II. pag. 199. Veteres Christiani, expectantes novissimum Adventus Domini diem cum spe, atque pavore, picturis repraesentari curabant in Coemeteriis Parabolam decem Virginum, quinque prudentum, & quinque fatuarum. Heic tantum prudentes visuntur, quae domo egressae, eunt obviam Sponso, cum vasis, & lampadibus suis. Lampades in manibus gerebantur ab Hebraeis, & hoc ipsum Israelitae,

vel

INDICULUS TABULAE II. SAECULI I.

vel Arabes consuerunt, ut refert Seldenus *de Uxor. Hebr.* lib. 2. cap. 1. A lucernis nostratibus longe aberant; ideoque ex pictura, quam illustramus, Euangelicae Parabolae lux addenda est, ne lampades a S. Matthaeo indicatae (capite 25.) vulgaribus similes fuisse credantur. Quis assequi posset id, quod inferius dicitur in eodem S. Euangelii loco, nempe Virgines fatuas, acceptis lampadibus suis, non sumpsisse oleum secum, & videntes illas extingui, petiisse a sociis suis, ut sibi oleum mutuum darent; nisi perspectam habeat formam vasorum, & lampadarum. Hae instar funalium erant, vel facum praelongarum; &, juxta Veterum morem, oleo fovebantur, quod secum in vasculo deferebant, quodque illis identidem infundebatur. Noster Gallonius *de Cruciatibus Martyrum* cap. 6. eas erudite de more describit. Quinam exstiterit olim nuptiarum mos, ad quem isthic Christus alludit, ex Calmetto paucis exponam. Sponsus conjugem invisebat, eamque domum suam, ut plurimum noctu, magna cum celebritate adducebat: eaque erat conclusio caeremoniarum conjugii. Cum vero Sponsa de una in alteram adducebatur Civitatem, Virgines Urbis, ad quam accedebat, occurrebant illi, accensas gerentes taedas, quales decem Virgines describunt

Indiculus Tabulae II. Saeculi I.

ſcribuntur in Euangelio. Machabaeorum cap. 9. verſ. 37. legimus quid contigerit in nuptiis potentis illius viri, cui nomen *Jambri*, domum ſuam adducentis conjugem, quam Medabae duxerat. Statius fingit, cuidam conjugio novem Muſas cum lampadibus obviaſse,

Demigrant Eliconae Deae, quatiuntque novena
Lampade ſolemnem thalamis coeuntibus ignē.

Reor, lampades militum Gedeonis (*Judicum* cap. 7. verſ. 16.) his quinque prudentum Virginum fuiſse perſimiles, quibus pariter oleum injiciebatur, ut ignis, & lux alerentur: lampades namque vulgares minime prodeſse potuiſsent ad id, in quod illae erant deſtinatae. Quomodo enim accenſae perſtitiſſent in praelio, atque in fugientium hoſtium nocturna perſecutione? Adde, noſtratibus lucem non ſatis ingentem eſse, ut in magna celebritate reſplendeant; qualis eſt illa celebritas, de qua Chriſtus loquitur in Parabola decem Virginum, quinque prudentum, & totidem fatuarum. Figura *boni Paſtoris*, qui errantem ovem humeris geſtat, ut in ovile reducat, in vitris, in lucernis, & in ſarcophagis Coemeterialibus paſſim occurrit apud Aringhium *Romae Subterraneae* Tom. 1. pag. 303. 315. 321. 323. 327. 335. 389. 517. 531. 549. 573. 575. 579. 585. 587. 589. & Tom. 2. pag. 25.

INDICULUS TABULAE II. SAECULI I.

25. 29. 59. 63. 67. 71. 75. 79. 91. 97. & 101. & apud Bonarrotium in Opere inscripto, *Osservazioni sopra alcuni frammenti di vasi antichi di vetro &c.* Tab. IV. Fig. 1. 2. 3. & Tab. VI. Fig. 2. Similia horum, aut eadem sunt, schemata, quae exhibent Bosius in *Roma Sotterranea*, Petrus Sanctes Bartholus in libr. *de Lucernis*, & Boldettus in Opere *delle Osservazioni sopra i Cimiterj* pag. 200. num. 10. 11, & pag. 212. num. 2. atque alibi. Consulantur etiam Viri Cll. Muratorius, Bottarius, Franciscus Commendator Victorius, & Mamachius Tom. 3. lib. 3. *Originum, & Antiquitatum Christianarum* pag. 76. & seqq. Tertullianus lib. *de Pudicitia* cap. 7. pag. 559. Edit. Venet. 1744. Catholicos carpens, qui lapsis in capitalia scelera, si resipuissent, veniam concedendam pugnabant, sic habet: *Procedant ipsae picturae calicum vestrorum, si vel in illis perlucebit interpretatio pecudis illius, utrumne Christiano, an Ethnico peccatori de restitutione conliniet.* Et cap. X. pag. 563. *Cui* (libro, qui inscribitur *Pastor*), *si forte patrocinabitur Pastor, quem in calice depingis &c.* In veteri pictura, quam in praesentia illustramus, praeter ovem, quam Pastor humeris gestat (ut summa erga prolapsum genus humanum Christi boni Pastoris clementia intelligatur), arietes etiam visuntur, qui

qui (ut animadvertit Bonarrotius in expositione Tab.IV.pag.25.) loco ovium, interdum in vitris, aliisque monumentis picti scalptique sunt. Id vero eo consilio factum putat, quod illis centum ovibus, quarum fit in Euangelio mentio, armentum minutum omne contineri arbitrarentur, in quo sunt arietes, capellae, haedi, & oves.

Indiculus Tabulae II. Saeculi I.

14. Christus bonus Pastor, qui daturus erat animam suam pro ovibus suis (quando Hierosolymis egrediens, ivit in Golgotha, ubi hora tertia diei actus in Crucem fuit), Hierusalem flevit excidium, civitati praedicens fore aliquando tempus, ut ea, celeriter circumducto ab hostibus vallo, obsideretur, ac tandem funditus concideret; quod Liberatorem generis humani cognoscere renuisset. Cumque esset in montem Olivarum profecturus, egressus e Templo, rogatusque a Discipulis, ut structuram, ornatumque ejus Aedis contemplaretur, futurum esse tempus respondit, quo sic ea destrui, evertique deberet, ut minime esset *lapis super lapidem relinquendus*. Insigne hoc fuit testimonium Propheticae virtutis, ac Divinitatis Christi. Origenes *contra Celsum* lib. 2. num. 13. & seqq. pag. 400. Tom. I. Operum ejus Edit. Monach. S.Mauri, *Praeterea*, inquit, *cogitet Celsi Judaeus il-*

INDICULUS TABULAE II. SAECULI I.

le, qui negat, Jesum praevidisse, quae sibi eventura essent, quo pacto Jesus, dum adhuc Jerusalem staret, & totus Religionis Judaicae cultus in ea consisteret, praedixerit, quae illi Urbi a Romanis mala impenderent. Nec enim dici potest, Jesu familiares, & auditores sine scriptis doctrinam in Euangeliis descriptam tradidisse, & nihil literarum suis Discipulis reliquisse, unde res ab illo gestas discerent. Atqui in iis scriptis hoc legitur: cum videritis circumdari ab exercitu Jerusalem &c. *Tunc nullus exercitus Jerusalem circumdabat .... Hoc enim, fieri coeptum sub Nerone, duravit ad Vespasiani tempora, cujus Vespasiani filius Titus solo aequavit Jerusalem. Quod quidem narrat Josephus accidisse propter Jacobum Justum fratrem Jesu, qui dicebatur Christus: ut autem veritas ipsa clamat, propter Jesum illum Christum, qui Dei Filius est.* Vide etiam Huetium in *Demonstr. Euang.* cap. 163. pag. 612. & seq.

15. SANCTAE ROMANAE ECCLESIAE PRIMATUS. Schema Apsidis veteris Basilicae Vaticanae, quod in ejusdem Basilicae Archivo (ut scribit Doctissimus Praesul Ciampinius in libro *de sacris Aedificiis a Constantino Magno constructis* cap. 4. sect. 2. pag. 42.) magno in pergameno coloribus apprime delineatum asservatur, ut testatum facit in calce ap-

apposita publici Notarii fides de collatione cum originali facta, antequam a Xysto V. fel. record., ut Turrigius narrat, Musivum dirueretur. *Ejus area* (verbis utar laudati Scriptoris, breviori tamen stylo contractis, ut ratio nostri INDICULI exposcit) *multis stellulis disseminata cernitur: in medio est Salvator in throno sedens, qui dexteram elevatam, in benedicendi actu, complicato pollice cum annullari, tenet: sinistra manu librum clausum stringit, qui librum vitae, scilicet Electorum denotat; de quo in Apocalypsi cap.20.num.15.&c. Caput diademate ornatum, in quo Crucis signum expressum est, Salvator habet. Diadema enim, in cap.24.Operis* de Veteribus Monumentis, *Regni, sive Imperii symbolum esse diximus; Crucemque in eo expressam, nil aliud denotare arbitror, quam Regnum Redemptionis, mediante Cruce, acquisitum. A dextro capitis latere duae cernuntur literae, scilicet* IC, *quae Jesum significant; in sinistro vero aliae duae literae, nempe* XC *expressae sunt, quae Christum denotant. Ad dexteram Salvatoris stat S. Paulus, pallio involutus, ex quo dexteram emittit, quasi cum Salvatore colloquens; sinistra volumen apertum tenet, in quo legitur:* Mihi vivere Christus est. *Hac desumpta epigraphe ex ejusdem D. Pauli Epist. ad Philipp. I. 20. a tergo hujus figurae,*

INDICULUS TABULAE II. SAECULI I.

perpendiculari ordine, Graecis characteribus, abbreviate legitur, (ut in nostro hoc ichonismo num. 15.) *id, quod denuo characteribus Latinis, eodem perpendiculari modo, ante faciem Sancti exprimitur, nempe* Sanctus Paulus. *A sinistra vero stat S. Petrus, qui dexteram subtus e pallio elevat, ac manum in benedicendi actu tenet, pollicem cum annullari constrictum habens: sinistra duas claves pendentes gerit, quae ligandi & solvendi potestatis symbolum sunt. Ex eodem itidem brachio volumen apertum pendet, in quo legitur:* Tu es Christus Filius Dei vivi: *quae illa fuit ab hoc Apostolo facta confessio, ut narrat Euangelista Matthaeus cap. 16. vers. 16. quae placuit Magistro, unde illam reportavit responsionem:* Tu es Petrus, & super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, & tibi dabo claves Regni Caelorum, & quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in Caelis, & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in Caelis. *Quae verba ad expressum clavium symbolum respectum habent. Ante hujus imaginis faciem, itidem characteribus Latinis, perpendiculari forma nomen Apostoli expressum est; videlicet* Sanctus Petrus, *& a tergo Graecis characteribus eodem modo legitur, licet penultima litera, sive ex Pictoris, sive ex Musivarii*

culpa

culpa errata, *cum loco* O, G, *utpote etiam ultima* 2 *inverso ordine*, *expressa sit*. *Ex earundem figurarum utroque latere duae magnae Palmarum arbores attolluntur*, *quas mysterio minime carere judico*; *nam Palma Judaeae Regionis symbolum est &c. in qua Salvator noster Dominus Jesus Christus natus*, *& cum hominibus conversatus est*. *Campus*, *sive area*, *sub harum figurarum pedibus*, *nonnullis tabernaculis*, *arbusculisque*, *& figuris in diversis actibus expressis*, *ornatus cernitur &c. Sed his omissis*, *ad duos Cervos*, *qui ad fontes properant*, *subtus Christi pedes emanantes*, *me converto*. *Quales isti sint fontes*, *sub ipsis*, *eorum scripta sunt nomina*, *idest* Gion, Phison, Tigris, Euphrates; *qui quatuor illa sunt magna flumina*, *quae nos Sacra docet Scriptura*(Genes. *cap.* 2.) *e Terrestri Paradiso exire*. *Cervi autem*, *qui ad dicta tendunt flumina*, *nonnisi Fideles denotant &c. Haec de superiori Musivi emblematis parte* (*sive segmento*): *accedo ad inferiorem*. *In hujus medio visitur gemmatus thronus*, *non multo absimilis illi*, *quem Sixtus III. in Ecclesia S. Mariae Majoris appingi curavit &c. Throni area*, *Crux gemmata expressa est*, *in cujus pede visitur veluti pulvinar* : *sub Cruce stat Agnus diadematus super montem*, *e cujus pectore*, *pedibusque*, *quinque defluunt*

rivuli

rivuli in flumen, quod ad montis decurrit radices, quodque deinde per latera expanditur. Symbolum hoc Casalius in suo erudito Tractatu de Vet. Sac. Christ. Rit. *part. prima, cap. 1. refert, notisque illustrat, asserendo, quod eo tempore, quo Crucis supplicium in reos & latrones apud Gentes frequens erat, Christi Fideles magna circumspectione Christi patientis imaginem Cruci affixi exprimebant: quare hanc exponebant gemmis, margaritisque ornatam, ut Ecclesia canit:* O Crux splendidior cunctis astris. *Similem Crucem gemmatam habemus in Ecclesia S. Pudentianae, ac Basilica Lateranensi &c. Ad Crucis pedem stat Agnus, sanguinem e pectore effundens in calicem, & ex isto in proximum rivulum defluentem, utpote etiam sanguis e pedibus emanans, per rivulos in subjectum flumen decurrit. Quae omnia nonnisi Christi Cruci affixi, quinque vulnera sanguinem emittentia, demonstrant. In praefata vero Christi Crucifixi imagine exprimenda prisci Fideles fragilitati recentium Initiatorum aliquando indulgere existimarunt, cum, sive ex Judaismo, sive ex Gentilitate, ad Christi fidem converterentur. Accidebat enim ut ex his multi erubescerent Christum Crucifixum, uti Deum adorare, cum eadem die, vel paulo ante, latronem, aut alias criminis reum in Cruce pendentem inspexissent &c.*

&c. Supra relatum symbolum indicavit S. Paulinus Episcopus Nolanus Epist. 12. ad Sulpitium scribens:

Sub Cruce sanguinea niveo stat Christus in Agno. *Et paulo post:*

Sanctam fatentur Crux, & Agnus, victimam. *Agnus heic expressus, illum Agnum mansuetum repraesentat, de quo Isaias cap. 53. 7.* Sicut ovis ad occisionem ducetur, & quasi Agnus coram tondente se obmutescet, & non aperiet os suum. *Quod etiam his verbis indicavit Praecursor Joannes:* Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata Mundi. *Ad hoc hieroglyphicum Innocentius III. Summus Pontifex Musivi Operis restaurator in lib. 4. cap. 44. mysteriorum Missae respexisse videtur &c. Consuetudinem appingendi Agnum, servatam fuisse deducitur usque ad Conciliabulum Quinisextum, sive Trullanum, celebratum anno 692. vel, ut Petavio placet, anno 707., in quo Can. 82. decretum fuit, loco Agni, ut Christus in Cruce, in hominis figura pingeretur. Haec de praecipuo symbolo in hoc secundo ordine expresso: modo ad alias in eodem contentas figuras devenimus. Ad dexteram Throni, quae est sinistra intuentium, stat Vir, Casula (juxta tamen antiquam formam) indutus Pontificia Thiara, & ex ea pendentibus lemniscis, caput ornatum, ac super humeros*

pallium

INDICULUS TABULAE II. SAECULI I.

pallium gerens. Quis sit iste Vir, conjunctae literae indicant, nempe INNOCENTIUS PAPA III., *qui, ut diximus, hujus Musivi Operis restaurator fuit. Consuevere enim antiqui Pictores in hujusmodi operibus, illius Pontificis effigiem exprimere, qui tale opus construi mandabat. In opposita autem parte, scilicet sinistra, stat mulieris effigies, manicata veste usque ad talos demissa, indutae, ac super humeros birrum, vulgo* Mozzetta, *deferens; caput quodam byreto, veluti Ducalis corona, redimitum habet: in dextera manu hastam, in summitate cruce insignitam, gestat, ad cujus pedes vexillum volitat, in quo duae claves expressae cernuntur: altera vero manu librum ad pectus stringit. Quid per hanc denotetur figuram, appositae ibi literae demonstrant, scilicet* ECCLESIA ROMANA: *prope, & a tergo hujusmodi figurarum, duae attolluntur arbores, quae potius Palmam, quam aliam plantam repraesentant: rami ita sunt dispositi, ut ellypsim, scilicet ovalem formam, exhibeant; in cujuslibet medio stat avis &c. una cum arboribus, quae fuerunt, (sicuti in superioris partis area, de tabernaculis, aliisque figuris dixi), ad Pictoris, sive Musivarii placitum atque ornatum expressae. In hujus inferioris partis extremitate, dexteroque loco respectu Salvatoris quaedam visitur Civitas, quae Hie-*

Hierusalem repraesentat, ut conjunctae denotant literae. Pendentes lampades sunt in summitate arcus portae: in hujus medio stat Agnus, sive ovis exitura, quam aliae quinque praecedunt. In opposita vero, sive sinistra parte, eaedem cernuntur figurae: nomine tantum Civitas discrepat, cui BETLEEM *appositum fuit. Quid per Civitates, quidquе per lampades istas antiqui Patres ostendere voluerint, diximus in nostro Opere* de Vet. Mon. *part.* 1. *cap.* 21., *ad quod benignum Lectorem remittimus. Superest modo de Agnis sive ovibus aliquid exponere. Cum igitur in Sacra Scriptura apud dilectum Christi Discipulum veritatisque Scriptorem D. Joannem cap.* 21. 15. *habeamus, quod Jesus dixit Petro*: Simon Joannis, diligis me plus his? *Respondit Petrus*: Tu scis, quia amo te: *& Jesus, ut prius subjunxit*: Pasce Agnos meos. *Terticque Jesus interrogavit Petrum, an eum amaret; Petrusque respondit*: Domine, tu omnia nosti, tu scis quia amo te: *& Jesus dixit*: Pasce oves meas. *Igitur per Agnos, & oves, Fideles denotantur, &c. Durandus* in suo Rationali Divin. Offic. *lib.* 1. *cap.* 3. *num.* 10. *describit varias mysticas formas appingendi Apostolos, inter quas sub forma duodecim ovium aliquando expressos fuisse affirmat, quae praesenti Musivo operi adaptatur. Et haec satis de illius explicatione.*

Indiculus Tabulae II. Saeculi I.

INDICULUS TABULAE II. SAECULI I.

tione. Epigraphe sub eodem apposita, est:

SVMMA PETRI SEDES EST HEC SACRA PRINCIPIS AEDES
MATER CVNCTARVM DECOR ET DECVS ECCLESIARVM
DEVOTVS CHRISTO QVI TEMPLO SERVIT IN ISTO
FLORES VIRTVTIS CAPIET FRVCTVSQVE SALVTIS.

Imagines SS. Principum Apostolorum in nonnullis quandoque Operibus Musivis, ac vitreis etiam orbiculis (ut in hac Abside veteris Basilicae Vaticanae, de qua loquimur) ita cernuntur dispositae, ut Paulus dexteram, ac Petrus sinistram occupent. Cl. Ciampinio aliquid ut addamus, quod huic nodo perdifficili dissolvendo plurimum conferre possit, Indiculum afferemus Auctorum, qui de usu Veterum, pingendi Paulum a dextris, & Petrum a sinistris, unde profectus sit, sedulo investigarunt, post Petrum Damianum *Opusc. XXXV. Epist. ad Desider. Abbatem* pag. 265. Tom. 3. Edit. Operum an. 1665, S. Thomam *in Epistolam ad Galathas* lect. I. pag. 378. Tom. 18. Operum Edit. an. 1689., Durandum *Ration. Divin. Officiorum* lib. 7. cap. 24. pag. 295. Edit. an. 1568., & Molanum *Histor. Sacr. Imag.* lib. 3. cap. 24. pag. 375. & seqq. Edit. an. 1619.

Sunt

Sunt autem Petrus de Marca in Opusc. *de Primatu Petri* Edit. *Opusculorum* an. 1681. pag. 69., Leo Allatius *de Ecclesiae Occidentalis, & Orientalis consensu* lib. I. cap. 6. pag. 86. & seqq., Inchoferus Soc. Jesu Theologus apud eundem Allatium, ibid. cap. 7. pag. 142. & seq., Caracciolus, ibidem pag. 90., Mabillonius *de re Diplomatica* lib. 2. cap. 14. pag. 130. Edit. an. 1681., Musantius *de SS. Petri & Pauli Imaginibus &c.* pag. 163. & seqq., Opus Bollandianum Tom. VI. Junii par. 2., Theophilus Raynaudus *de bicipiti Ecclesia* Tom. X. Operum pag. 221. & seqq. Edit. 1665., & Joannes Baptista Casalius *de Veteribus Sacris Christianorum ritibus* cap. 2. pag. 20. Edit. Rom. an. 1645. Horum aliqui, inquit P. Mamachius *Originum & Antiquitatum Christianarum* Tomo 3. cap. 1. lib. 3. pag. 82., partem eam digniorem putarunt apud Veteres Christianos fuisse, quae dextera intuenti esset: ergo Paulum dexterum Petro fuisse positum, ut videnti Petrus dexter appareret. Confer Bonarrotium Tab. X. pag. 77., & Fogginium in Opere mox laudato pag. 469. Negari quidem non potest, quin in vitreis vasculis veterum aliquando, etsi perraro, dexter Paulus inspiciatur. Extat ejus rei apud Boldettum lib. 1. cap. 39. pag. 102. exemplum unum, si imaginum rationem

 habea-

habeamus: nulla quippe Inscriptio est. Calvus autem, & qui longior est barba (sic enim saepe depingi Paulus solebat) dexter est. De hac effigie Pauli consule ibidem Bonarrotium. Quid quod, & apud Aringhium lib.4. cap.47. pag. 403. duo alia exstant schemata vitreorum vasculorum, in quibus Paulus dexter cernitur. Sed, vel antiqui Artificis factum id vitio est, aut, quod verissimum esse mihi videtur, novi Incisoris errore. Quamobrem recte ac sapienter, ante Bonarrotium, Boldettum, atque Fogginium, eruditissimus Fabrettus libro citato pag. 593. haec literis commendavit: *Videbis, huic inpluribus simile, vitrum illud ab Aringhio recensitum* Tom.2. p.403. *tertium in ordine* (sic etiam est secundum, & quintum, cujus quinti Mamachius ectypon dedit Tom.1. Originum &c. p.322.); *sed ex mera describentis incuria, quia, cum istae Imagines hinc inde perlucidae sint, pictor, non earum faciem, sed aversam partem excepit: id quod ex literis inverso ordine dispositis fit evidens, tum in hac, de qua loquimur, tum in aliis eorundem Apostolorum figuris, quae eadem pag.* 593. *num.* 2. *&* 5. *habentur. Verius etenim ex ipsomet Aringhio pag. sequenti* 405. *ubi rectus est vitri illius secundi aspectus, constat, Petrum ad dexteram, Paulum ad sinistram conspici. Ad dexte-*

*xteram pariter reperitur Petrus in alio eorundem duorum Principum Apostolorum sedentium vitro, quod levissima differentia a jam dicto apud Aringhium pag.*403. 2. *distinguitur; in eo scilicet, quod in medio coronae, non chresimon, sed rosa sex foliorum cernitur, & in dextera uniuscujusque volumen deficit, vel forsan ibi male expressum est: nomina ceteroqui hinc*

P E T R V S, *inde* P A V L V S

habentur. Aliud, utrumque stantem exhibet, cum volumine in sinistra, complicatisque dexterae manus digitis, Christi Monogrammate ☧ *infra, & corona superne intermediis, atque ad latera,*

P E T R V S P A V L V S

servata itidem Petro dexterae partis praerogativa. In alio medius inter Petrum a dextris, & Paulum a sinistris in communi sedili visitur Laurentius, cum volumine in sinistra. Nomina sic disposita sunt:

P E T R V S P A V L V S
L A V R E N
T I V S

Similiter disposita in alio stat inter Petrum & Paulum Agnes, flammarum globulis undique ambientibus, tanquam ea, quae juxta Divi Ambrosii praeconium in ipsis sacrilegis focis trophaeum Domini victoris signabat, *manibus passis*

passis supra utriusque caput, statura elatiori, & plusquam capite supereminenti. Literae,

PET PAVL
RVS VS A
N
N
E

Etiam vocatam video in alio minoris vasculi fundo, eleganti specie, apud me, pleniusque ANNES *apud Aringhium Tom. II. pag.* 403. *num.* 4. Hos vitreos orbiculos Coemeteriales damus in Tabulis Saeculi Tertii *nostrae Demonstr. Hist. Eccl. Quadripartitae*.

16. TRANSFIGURATIO DOMINI ex Musivo adhuc superstite in antiquissimo Titulo SS. Nerei & Achillei, curae nostrae Congregationis Oratorii a Summis Pontificibus commendato, ob merita Ven. memoriae Caesaris Card. Baronii, qui eundem Titulum sibi collatum, nimia vetustate fatiscentem, iterum a fundamentis erexit, juxta veterem formam Ecclesiarum. Cl. Ciampinius a Leone PP. III. conditum fuisse putat, ob insigne Anastasii Bibliothecarii (*in vita ipsius Pontificis*) testimonium; sicut & Musivum *Dominicae Transfigurationis* illudmet esse arbitratur, quod ibidem laudatus Pontifex fieri jussit. *Summam enim* (inquit Parte 2. *Veterum monimen-*

mentorum cap.20. pag.125.) redolet antiquitatem, ut ex figuris apparet in hac nostra II. Tabula expressis numero 16. *Transfigurationem autem D. N. Jesu Christi repraesentat, juxta Matth. Euangelistae narrationem* cap. 17. v. 1. & seqq. Et post dies sex assumit Jesus Petrum, & Jacobum, & Joannem fratrem ejus, & ducit illos in montem excelsum seorsum: & transfiguratus est ante eos. *In arcus enim summitate Christus brachium dexterum in actu benedicendi extendit, cujus tunica rubei, pallium vero albi coloris sunt. Ad ejusdem Salvatoris dexteram stat unus, ut etiam ad sinistram stat alter vir, qui brachia erga Christum extendunt. Ambos hos viros, Moysen, & Eliam demonstrare judico. Circa dexteram, & sinistram Salvatoris, Joannem & Jacobum esse confirmo. Hi omnes candidorum palliorum extremitates, veluti ad velandam faciem, prae manibus tenent. Hoc autem pacto Pictorem exprimere voluisse arbitror, ut indicaret nimis a Christi facie emicantes radios, qui Apostolicorum constantiam oculorum adeo diverberabant, ut eos cogeret sese obvelare.* Post Petrum, Beatissima Virgo sedet, quam heic non exhibemus, quoniam ad aliud mysterium (Annunciationis videlicet) pertinet. Moyses, atque Elias agere coeperunt cum Jesu de rebus,

rebus, quas brevi erat Hierosolymis passurus a Judaeis. Apostoli somno oppressi, dormierant: sed opportune excitati, cum, quinam duo illi Viri essent, qui a colloquio discesserant, mirarentur, Mosen, atque Eliam esse cognoverunt. Noctu igitur contigisse reor Dominicam Transfigurationem, ut eruitur ex verbis illis Lucae cap. 9. vers. 32. *Petrus vero, & qui cum illo erant, gravati erant somno, & evigilantes viderunt majestatem ejus*. Cui sententiae suffragari verba illa versiculi 37, *factum est in die sequenti &c.* docet Augustinus Calmettus *in Commentario* ad memoratum locum Euangelii. Et haec satis de tempore. Nunc de loco pauca dicamus. Sunt, qui in monte Olivarum, aut in Libano contigisse Transfigurationem scribunt: ego vero in monte Thabor. Etenim Christus Dominus simul fere ac descendit e monte, Capharnaum venit, quae urbs vicina Thabori monti est. In hac antea fuere sententia S. Cyrillus Hierosolymitanus *Cathec.* 12. §. 16., & S. Hieronymus *in Epistola*, quae Paulae exhibet Epitaphium, seu Elogium. Idem S. Doctor *in Oseam* cap. 5. montem illum ita describit: *Est Thabor, mons in Galilaea situs in campestribus, rotundus, atque sublimis, & ex omni parte finitur aequaliter*.

17. INGRESSUS TRIUMPHALIS HIEROSOLY-

SOLYMAM,exSarcophago reperto inCoemeterio Vaticano,cujus ſchema æri inciſum exſtat apudAringhium Tom.1.p.295.In aliis quoque marmoreis tumulis primaevae aetatis, effoſſis exArenariis Urbis,viſitur Chriſti pullo inſidentis Hieroſolymam ingreſſus. Conſule eundem Aringhium Tom.1.lib.2.cap.10.p.329.331.& Tom.2.lib.4.cap.25.p.159.& 161.Scilicet Servator noſter, cum Bethphage ad montem Olivarum perveniſſet, Apoſtolos ad ſe duos vocavit, eiſque in mandatis dedit, ut ad proximum vicum ſe conferrent,atque inde aſinam,& pullum ad ſe adducerent. Quod ſi quiſquam ex eis, quid agerent, quaeſiſſet, Dominum, & pullo, & aſina indigere dicerent. Juſſis obtemperatum. Aſino pallio Apoſtolorum exornato Chriſtus inſedit, ac Hieroſolymam contendit, ut impleretur Oraculum Zachariae, quod habebat, *Jubila filia Jeruſalem: ecce Rex tuus veniet tibi juſtus, & Salvator: ipſe pauper, & aſcendens ſuper aſinam, & ſuper pullum filium aſinae*: & aliud Iſaiae cap. 62. 11. *Dicite filiae Sion, ecce Salvator tuus venit.* Judaei,qua maximo numero ei obviam proceſſerunt, qua veſtibus ſtratis per vias, qua ramis palmarum & olivarum caeſis, atque in terram projectis,clamantes*Hoſanna filio David*, eum tanquam Meſſiam ad Urbem deduxerunt

Bbbb Trium-

Triumphantis in morem. Sanctus Hieronymus damnat illorum opinionem, qui putant, Salvatorem nostrum modo asinae, modo pullo insedisse. En locus in Commentario in Matthaeum cap. 21: *Nunc stringendum breviter, quod secundum literam parvo itineris spatio super utrumque animal sedere non quiverit. Aut enim sedit asinae, & pullus absque sessore fuit; aut, si pullo, (quod magis competit) usus est ad sedendum, asina ducta est libera.* S. Marcus cap. XI. vers. 2. & S. Lucas cap. 19. vers. 30. de asina minime sunt loquuti; quia eadem non est usus Jesus Christus, qui pullo tantum insedit. At quoniam S. Matthaeus cap. 21. vers. 7. ait: *& adduxerunt asinam, & pullum, & imposuerunt super eos vestimenta sua, & eum desuper sedere fecerunt* (de industria & asinae mentionem injiciens, ut apertius ostenderet, impletum fuisse Oraculum Zachariae, a quo asina, & pullus memorantur), crediderunt nonnulli, ut etiam scalptor Sarcophagi Vaticani, de quo loquimur, Christum Dominum, cum Hierosolymam contendit, etiam asinae insedisse. Porro ad Isaiae Prophetiam adimplendam satis erat, pullum, & asinam adesse, ut Servator noster utroque, si vellet, uti posset.

18. CRUCIFIXIO DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI, ex veteri pictura Cubiculi unici Coe-

Coemeterii S. Julii Papae ſeu S. Valentini Via Flaminia apud Aringhium Tom. 2. pag. 355. Veneranda heic Servatoris noſtri e Cruce pendentis imago contemplanda proponitur, cui ſanctiſſima hinc Virgo Parens extenſis manibus adſtat, inde vero B. Joannes Apoſtolus, ſiniſtra manu librum tenens, dextera vero ſuffixum ſtipiti indicans Redemptorem. Hora diei tertia (ut ſcribit S. Marcus cap. 25. verſ. 25.) in Golgotha actus in crucem fuit, anno Olympiadis CCII. 1., Urbis Conditae 780., Aerae Vulgaris 28 Biſſextili, *Tiberii Imp. XV.*, *C. Fufio* & *L. Rubellio Geminis Conſulibus*. (Vide *Chronicum* ad annum 28. pag. 64. 65. & ſeqq.) Nolim, Lector, pictori Cubiculi S. Julii Papae ſuccenſeas, quod Chriſtum de Cruce pendentem velo tectum effinxerit. Pudori enim, atque honeſtati ex veterum inſtituto conſulere voluit, quamvis hiſtorica veritas contradiceret. Morem certe fuiſſe, ut Rei omnino nudi agerentur in Crucem, docent Jacobus Boſius, Lipſius, & Gretſerus in libris, quos *de Cruce* ſcripſerunt. Vide etiam Diſſertationem Bernardi Lamy inſertam *Harmoniae* in IV. Euangelia pag. 573. Edit. Pariſ., Averanium *Lectione IV. de Paſſione*, &, ſi lubet, Diſſertationem quoque Georgii Moebii Luterani *de Crucis ſupplicio ad Matth.* 27. Tomo 2. *The-*

sauri Philolog. Theolog. S. Cyrillus Hierosolymitanus *Cathechesi* 20. *Mystagogica* cap. 2. §. 2. *Exuti* (ait) *nudi fuistis, in hoc quoque nudatum in Cruce Christum imitantes*. Et Sanctus Ambrosius in Lucam cap. 23. *Refert vero* (inquit) *considerare, qualis Crucem ascendat. Nudus ascendit. Nudum ecce video. Et talis ascendit, quales, auctore Deo, nos natura formavit.* Et in Psal.43. „ Tota die, *inquit*, confusio mea contra me est. *Quae autem confusio Christi, nisi quod nudus pependit in ea?* In eandem ivit sententiam etiam S. Augustinus lib.16. *de Civitate Dei* cap. 2. & libro 12. *contra Faustum* cap. 23., ubi Christum Dominum Cruci affixum comparat cum Noe domi suae nudato. Augustino praeivit S. Cyprianus in Epist. 63. *ad Caecilium*. Jesu jam jam animam efflaturo aderat ejus Sanctissima Mater, quae incredibili dolore correpta, juxta Simeonis prophetiam, filii, suumque casum lamentabatur. Mariam ut Christus adspexit, conversis in eam oculis, & in Joannem Discipulum nimium lugentem, utrique jussit, ut altera alteri Mater, & alter alteri Filius esset: *Mulier, ecce Filius tuus*, & ad Discipulum conversus, *ecce Mater tua*, docens exemplo suo, *ut a Filiis* (inquit S. Augustinus *in Joannem* Tractatu 119.) *impendatur cura parentibus*.

tibus. S.Ambrosius in Lucam cap.23.pag.225. *Testabatur de Cruce Christus, & testamentum ejus signabat Joannes, dignus tanto Testatore testis*. Et *de Institutione Virginis* cap.7.pag.423. *Testatur de Cruce Dominus Jesus, & paulisper publicam differt salutem, ne Matrem inhonoram relinquat. Subscribitur Joannes in testamento Christi: Legatur Matri pudoris defensio, testimonium integritatis. Legatur & Discipulo Matris custodia, pietatis gratia commendatur*. Constat ex Euangelio, Inscriptionem, seu Titulum indicem mortis causae, propter quam infligebatur (moris namque fuit Romanorum, ut sonti plectendo Titulus praeferretur, quemadmodum videre licet apud Suetonium in Caligula cap.32., & in Domitiano cap.10. Item apud Eusebium lib. 5. *Hist. Eccl.* cap. 1., ubi S. Attalum Martyrem per Amphiteatrum circumductum dicit, *praecedente ipsum Tabella, in qua Latino sermone inscriptum erat*: HIC EST ATTALVS CHRISTIANVS), Cruci nostri Servatoris fuisse impositum, scriptum Hebraice, Graece, & Latine; quo facilius crudelissimi teterrimique supplicii causa omnibus innotesceret. Vide Sandinum in Historia *Familiae Sacrae* pag.165., Gretserum *de Cruce* lib.1. cap.28.29.30., & Augustinum Calmet *in Commentario* in Matthaeum cap. 27. vers. 37. Titu-

Titulus in Cruce positus his verbis exaratus erat apud Matth. loco mox allegato, *Hic est Jesus Rex Judaeorum* (ut legitur in veteri pictura, quam illustramus hoc num. 18., omisso tantum praenomine): apud Marcum cap. 15. ver. 26. *Rex Judaeorum*: apud Lucam cap. 23. vers. 38. *Hic est Rex Judaeorum*: & apud Joannem cap. 19. vers. 19. *Jesus Nazarenus Rex Judaeorum*. Crucifixionis modum hunc fuisse tradunt, ut ambae manus brachiis expansis in ligno Crucis transverso clavis affigerentur, ambo vero pedes ligno cuidam, ab hasta seu erecto ligno Crucis justo loco prominenti, velut basi, insistentes, & juxta se mutuo positi itidem clavis affigerentur. Ex quo liquet, (inquit Sandinus *de Christo Domino* pag. 167.) Christum quatuor clavis crucifixum. Vide ejus caput XV. *de instrumentis Passionis, ac Mortis Christi* pag. 209.

19. TITULUS CRUCIS. Narrat Gilbertus *in Chronographia* lib. 4. pag. 729. edit. Paris. in fol. 1600., repertum fuisse hunc Titulum Crucis Christi in Basilica S. Crucis, *in medio Templi pariete occlusum*, aevo Innocentii VIII. Summi Pontificis. Maldonatus *in Comment.* in Matth. cap. 27. vers. 37. ait: *cum omnes Euangelistae Tituli sententiam expresserint, nemo tamen eorum videtur omnia Tituli verba posuis-*

posuisse. Ex omnibus autem haec fuisse verba colligere nobis licet: HIC EST IESVS NAZARENVS REX IVDAEORVM. E contrario noster Ven.Card.Baron.ad an.34.§.119.,Gretserus lib.1. *de Cruce* cap.29., atque Jansenius *in Concordia Euangelica* cap.143.aliique ajunt, omnia Tituli verba ab Joanne fuisse relata. Nicquetus in Historia Tituli S.Crucis cap.11., *ex solo* (inquit) *Euangelistarum Lucae, & Joannis textu non liquet, quo ordine scriptae linguae fuerint*. Erat autem, *ait Lucas*, & superscriptio scripta super eum literis Graecis, & Latinis, & Hebraicis. *At Joannes*, erat autem scriptum Hebraice, Graece, & Latine. *Vter ex duobus ordinem verum retulit? Pars Tituli, quae Romae servatur, hoc Joannem fecisse planum facit; infima est enim Latina, superior Graeca, Hebraea suprema*. Clarissimus Ciampinius in Opere *de sacris Aedificiis a Constantino Magno constructis* cap. 7. pag. 119., postquam multa narravit de Crucis Titulo a S.Helena Romam misso (una cum particula ejusdem vivificae Crucis), ut in Sessoriana Basilica a Constantino ejus filio constructa religiosissime adservaretur, Historiam Inventionis ipsius Tituli scriptam ab Stephano Infessura publici juris fecit: *Quoniam vero* (inquit) *Tituli Sanctissimae Crucis meminimus, & in eadem*

Indiculus Tabulae II. Saeculi I.

INDICULUS TABULAE II. SAECULI I.

eadem Basilica adhuc servari asseruimus, libet modo referre, quomodo olim deperditus, tandem sub fine XV. Saeculi denuo repertus fuerit. Vivebat tunc bo: me: Petrus Gondisalvus de Mendoza Presbyter Cardinalis Tituli ejusdem Ecclesiae, qui cum illam vetustate jam fatiscentem videret, ut in primaevum splendorem restitueret, ejusdem muros nova & tenui calce obduxit, ac dealbavit, necnon interrasile laquearium picturis, aureisque exornavit lineis. Dum autem haec a fabris murariis peragerentur, in summitate majoris arcus, sive triumphalis, disjecto cujusdam parvae fenestrae muro, ibidem Sacrosanctae Crucis Titulus repertus fuit. Tota facti series a Stephano Infessura, quem penes me in meo librorum Cimelio Ms. asservo, rerum sui temporis diligenti Scriptore, rudi quidem stylo sic enarratur: „ Die prima mensis Februarii anno 1492. venerunt nova de partibus Africanis, dictumque fuit, qualiter Rex Hispaniae habuerit victoriam de Granata, ipsamque coepit, & dominatus est, & eam fuisse captam pactis omnibus, & foederibus. Nam jam diu ante oppresserat eam: quibus autem pactionibus, non bene scitur apud nos. Eadem die miraculum in Urbe fuit. Nam cum D. Petrus Gondisalvus de Mendoza, ut dicitur, sua impensa faceret incrustare, & dealbare Ecclesiam

ſiam praedictam, quando Operarii tetigerunt ſummitatem arcus, exiſtentis in medio Eccleſiae juxta tectum, ubi adhuc ſunt duae parvae columnae, ſentierunt ibi certum vacuum; cumque aperuiſſent, invenerunt unam parvam feneſtram, in qua erat una capſula plumbea duorum palmorum, bene clauſa, & ſuper eam erat lapis quidam quadrangularis marmoreus, ubi erant ſculptae iſtae literae, videlicet, *Hic eſt Titulus verae Crucis*: in qua Capſula reperta fuit quaedam Tabula parva longitudinis unius palmi, quae ab uno latere erat comeſa, & vetuſtate corroſa, ibique erant cavatae, & deinde colore rubeo tinctae, infraſcriptae literae, ſive verba,

HIESVS NAZARENVS REX IVDÆORVM.

Sed illud IVDÆORVM non erat perfectum, quia illud RVM, nonniſi ad R incluſive remanſerat, & illud VM ceciderat, ut dixi, quia erat Tabula ab ea parte corroſa, & vetuſtate deficit; & primus verſus erat hoc, ſcriptum literis Latinis; ſecundus vero literis Graecis; & tertius literis Hebraicis. Ad quem locum quaſi tota Urbs acceſſit, & Papa Innocentius etiam poſt triduum vidit eam, juſſitque permanere in dicta Capſula cum quadam lamina vitrea ſuper Altare in Feſtivitate dictae Eccleſiae: & eſt omnium aeſtimatione illa Tabula,

quam Pilatus posuit in Cruce super caput Salvatoris Nostri Jesu Christi, posita ibi per Sanctam Helenam Matrem Constantini, tempore quo fuit dicta Ecclesia fabricata. „ *Haec Infessurae narratio Musivis literis expressa legitur in Sacello S. Helenae constructo in Basilica Sessoriana.*

20. MORS, RESURRECTIO, ET ASCENSIO DOMINI, ex perantiqua columna in Basilica S. Pauli Via Ostiensi, ad usum Benedictionis Cerei collocata. Clarissimus Ciampinius ejusdem schema edidit Tab. XIV. Tomi I. *Veterum Monumentorum* grandioribus figuris, illudque pag. 25. his verbis exposuit: *Tertia columnae pars duo Dominicae Passionis mysteria refert. Primum quidem sub num.* 1. *quum Christus Dominus ad Annam ductus fuit, qui eum interrogavit, teste Euangelista Joanne cap.* 8. *Ni fallor num.* 2. *Malchum exprimit in terram lapsum, cui Petrus auriculam scidit. Num.* 3. *Caipham Pontificem sedentem. Num.* 4. *Christum a Judaeis, & Militibus illusum, qui eum per ludibrium salutantes, dicebant*: Ave Rex Judaeorum. G. H. *Alia ejusdem Passionis mysteria denotant. Etenim sub num.* 1. *Pilatus manus lavat. Sub.* 2. *Christus cum latronibus e Cruce pendet. Sub* 3. *vir quidam Titulum Cruci apponendum attollit,*

alius

alius vero malleum tenet. Demum sub num. 4. ii, qui juxta Crucem astantes Christi Domini Crucifixionem spectaverant, revertebantur percutientes pectora sua, ceu Euangelista testatur. Indiculus Tabulae II. Saeculi I.

H. I. *Duo alia mysteria repraesentant, nempe num. 1. Resurrectionem: etenim in Icone Sarcophagum vides, in cujus medio minutis charactéribus compendiario inscriptum est,* Sepulchrum. *Stat supra Sarcophagum Christus Alba indutus, dextera coronam, sinistra Crucem gerens; quibus indicatur triumphus, quem resurgendo de humani generis hoste, atque de ipsa morte tulit. Num. 2. Christi Ascensionem exhibet: nam ibi sunt quatuor Angeli, qui eum in Caelum e terra evolantem efferre videntur. Num. 4. sunt animae, quas secum Christus e limbo in Caelum adduxit. Num. 3. Milites supra, ac prope Sepulchrum dormientes.* Vide *Chronicum* ad annum 28. pag. 65. & seq.

21. CLAVIUM TRADITIO: nempe Christus Dominus, qui Principi Apostolorum summam in Ecclesia ligandi atque solvendi potestatem per binas claves confert. Expressus est ex Sarcophago Vaticano edito a nostro Aringhio *Rom. Subterr.* Tom. 1. pag. 293. Claves, supremam significare potestatem, certum est. In Apocalypsi cap. 3. vers. 7. describitur Dei Filius, manu claves Davidis gerens, *qui habet clavem*

 David,

INDICULUS TABULAE II. SAECULI I.

David, qui aperit, & nemo claudit; claudit, & nemo aperit. Et Isaiae cap. 22. vers. 22. promittens Dominus Eliacim, futurum Regiae Domus supremum curatorem, *& dabo* (inquit) *clavem Domus David super humerum ejus, & aperiet, & non erit, qui claudat; & claudet, & non erit, qui aperiat*. Jesus Christus Petro Principi Apostolorum supremam in Ecclesia sua tradidit spiritalem potestatem, ut temporariam Eliacim in Aula Regum Juda. *Ego dico tibi* (ait Matthaei cap. 18.), *quia tu es Petrus, & super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, & portae Inferi non praevalebunt adversus eam. Et tibi dabo claves Regni Caelorum, & quodcumque ligaveris super Terram, erit ligatum & in Caelis; & quodcumque solveris super Terram, erit solutum & in Caelis*. In Aedibus Regum Juda claves significabant etiam damnandi, & absolvendi, permittendi, & prohibendi, puniendi, & remunerandi potestatem, qua Jesus Christus Pontifex in aeternum donavit Beatissimum Petrum; eumque Principem Apostolorum, & militantis in terris Ecclesiae Caput esse constituit; ac Urbem Romam, non quia totius Orbis caput, sed quia Petri sedes erat, Ecclesiarum omnium Principem esse voluit. Nititur summa haec ejus dignitas Euangelicis testimoniis, quibus Christus, & post suum

suum ad vitam reditum Petro nominatim commisit oves pascendas, & ante mortem pollicitus est, super ipso, quasi solidissima petra, fundandam esse Ecclesiam, quam nullae Inferorum vires, nulli conatus superarent. Hoc fonte (ut inquit Coustantius in Praefatione ad Epistolas Decretales) derivari ejus Primatum agnoscunt non Pontifices modo Romani, sed & antiquissimi Patres universi, quorum testimonia singillatim referre quoniam longum esset, & supervacaneum, pauca tantum heic ego afferam. S. Bonifacius I. in Epistola XV. ad Rufum, & ceteros Episcopos per Macedoniam, Achajam, Tessaliam, Epirum veterem, Epirum novam, Praevalin, & Daciam constitutos, scribit, *absit hoc a Domini Sacerdotibus, ut in hunc aliquis eorum cadat reatum, ut nova quidpiam usurpatione tentando, inimica sibi faciat scita majorum: aemulum se illum specialiter habere cognoscens, apud quem Christus noster Sacerdotii summam locavit. In cujus contumeliam quisquis insurgit, habitator Caelestium non poterit esse regnorum*. Tibi, *inquit*, dabo claves Regni Caelorum, *in quae nullus sine gratia Janitoris intrabit*. Tu es, *inquit*, Petrus, & super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam. *Quicumque igitur cupit etiam ante Deum nostrum Sacerdotii dignitate censeri, quoniam ad Deum*

INDICULUS TABULAE II. SAECULI I.

Deum Petro suscipiente pervenitur, in quo Ecclesiam, sicut supra memoravimus, universalem, certum est esse fundatam, debet esse mitis, & humilis corde; ne incipiat Discipulus contumax, illius, cujus superbiam imitatus est, poenam subire doctoris. Paria Sanctus Gelasius, una cum Episcoporum LXX. Concilio, asseruit his verbis: *Quamvis universae per orbem Catholicae Ecclesiae unus thalamus Christi sit, sancta tamen Romana Ecclesia nullis Synodicis constitutis ceteris Ecclesiis praelata est, sed Euangelica voce Domini & Salvatoris nostri Primatum obtinuit*: „ Tu es Petrus, & super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, & portae Inferi non praevalebunt adversus eam: & tibi dabo claves Regni Caelorum. „ Eundem honorem Petro delatum fuisse, multo ante Gelasium fassus est in lib. *de Unitate* acerrimus ejus vindex Cyprianus, ubi ait: „ *Loquitur Dominus ad Petrum*, Ego tibi dico, inquit, quia tu es Petrus, & super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, & portae Inferorum non vincent eam: & dabo tibi claves Regni Caelorum; & quae ligaveris super Terram, erunt ligata & in Caelis; & quaecumque solveris super Terram, erunt soluta & in Caelis. *Et iterum eidem post resurrectionem suam dicit*, Pasce oves meas „: unde statim concludit Vir Sanctus, *super illum unum aedificat Eccle-*

Ecclesiam, & illi pascendas mandat oves suas. Huic Cypriani testimonio, cum plura possent adjici, unum illud ex ejus Epistola 73. ad Jubajanum annectere satis sit: *Petro primum Dominus, super quem aedificavit Ecclesiam, & unde unitatis originem institueret ostendit, potestatem istam dedit, ut id solveretur in Caelis, quod ille solvisset in Terris.* Ipse etiam Hieronymus, tametsi lib. 1. contra Jovinianum videatur Apostoli Johannis, quia virgo fuit, praestantiam efferre, Petri vero, quia uxorem duxerat, meritum extenuare, fatetur tamen, Ecclesiae caput a Domino constitutum fuisse non Johannem, sed Petrum, praetereaque nullum. Cum enim Johannem ceteris Apostolis plus amatum fuisse asseruisset, ipse sibi objicit: *At dicis*, super Petrum fundatur Ecclesia: (statimque respondet): *Licet id ipsum in alio loco* (Euangelii) *super omnes Apostolos fiat, & cuncti claves Regni Caelorum accipiant, & ex aequo super eos fortitudo Ecclesiae solidetur: tamen propterea inter duodecim unus eligitur, ut, CAPITE constituto, schismatis tollatur occasio.* Jam vero ex his Hieronymi verbis a Gelasio etiam Papa Tract. 4. num. 5. illustratis, intelligere est sensum eorum, quae superius ex Cypriano citavimus, Apostolos nempe ceteros honore simul, & potestate in aliquibus Petro pares fuisse.

INDICULUS TABULAE II. SAECULI I.

fuiſſe. Pari quippe honore dignati erant, quia omnes Apoſtoli; pari & poteſtate in aliquibus praediti, quia omnes pariter a Chriſto per Orbem miſſi, data ſingulis, baptizandi, praedicandi, ligandi, atque ſolvendi, necnon & Eccleſias fundandi, facultate. Ceterorum autem Caput erat Petrus, iſque ſolus: atque ad hanc inter reliquos Apoſtolos ſupremae poteſtatis diſcretionem & Primatiam reſpexit S. Leo Magnus (epiſt. 12. num. 14.), ubi de Epiſcopis loquens, dixit: *Quibus, etſi dignitas communis, non eſt tamen ordo generalis; quoniam & inter beatiſſimos Apoſtolos in ſimilitudine honoris fuit quaedam diſcretio Poteſtatis; & cum omnium par eſſet electio, uni tamen datum eſt, ut ceteris praeemineret.*

22. ALTARE &c.,,In ſummo faſtigio Arcus praecipui Baſilicae Liberianae, ubi Xyſtus III. Epigraphen poſuit XYSTVS EPISCOPVS PLEBI DEI, delineata eſt haec area circularis, exprimens apparatum Concilii, nempe ſacrum Euangeliorum volumen ſeptem ſignaculis conſignatum (ad novi Teſtamenti indicium ex Apocalypſi faciendum), & collocatum in ſuggeſto pro more Conciliorum: quem morem in Epheſino cuſtoditum leges *in Apologia Cyrilli ad Theodoſium*, cum Actis impreſſa in edit. Rom. pag. 624. Viſitur quoque ſedes Epiſcopalis velis

lis inſtructa, menſa Altaris cum oblationibus coronatis, titulus Crucis erectus, & ſacrae Imagines Petri, & Pauli Apoſtolorum hinc inde collocatae prope Sedem Pontificiam: quae omnia a Ciampinio diligenter enumerata, atque explicata (addita etiam figura peculiari hujus areae orbicularis, ut ſingula diſtincte appareant) leguntur Tomo 1. *Veterum Monimentorum* pag. 200. Hanc aream veluti tabellam quamdam *Votivam*(quod fortaſſe vocabulum barbare inflexit ſequior aetas Anaſt. Bibliot.quando appellavit*Votaream*)in gratiarum actionem Deo oblatam hinc inde ſuſtinent Sancti Apoſtoli Petrus, & Paulus, praecipui praecones apud nos illius Teſtamenti, quo veritas Eccleſiae revelata manifeſtatur, & traditione, teſtimonio, ac ſententia Patrum, in Chriſti nomine ſubPetri,&Succeſſorum primatu inConciliis congregatorum,haereſes univerſas eadem Eccleſia profligat. Quatuor quoque Euangeliſtae circaApoſtolorum capita expreſſi conſuetis ſymbolis quatuor animalium, Ezechielis, & Joannis deſcriptione notorum, ad currum Gloriae Dei, impetu ejuſdem Spiritus ubique gentium trahendum deſtinati, veluti Caeleſtis quadriga in arcu triumphali dedicata, Divinitatem, atque Humanitatem Chriſti Domini in unica Verbi Perſona mirabiliter ſubſi-

Dddd ſten-

INDICULUS TABULAE II. SAECULI I.

ſtentem, & in Concilio adoratam confeſſione totius Eccleſiae(in ſummo Arcus faſtigio Chriſti Monogrammate ☧ expreſſam, ornato literis A, & Ω, demonſtrantibus eundem eſſe rerum omnium *Principium*, *ac Finem*,ad quem referuntur), ad culmen provehit laudis, cui caelites accinant, & omne genuflectatur Caeleſtium, Terreſtrium, & Infernorum „. Haec Franciſcus Blanchinus Patruus meus in notis ad Tomum 3. Anaſtaſii Bibliothecarii, pag. 125. Sed & memoratum Ciampinium huncXyſti Papae III. iconiſmum interpretantem audiamus: „ Exprimitur(*inquit ipſe loco citato*)in orbiculari figura veluti Altare, cujus in medio jacet volumen ſignatum ſigillis ſeptem, ſuper quod imminet nigra Crux, veluti in velamine expreſſa, & in ejus apice corona gemmata, a qua ipſum velamen pendere conſpicitur. Retro coronam alia Crux gemmata attollitur, cujus a tergo ſtat thronus, & ipſe gemmis diſtinctus, & in ſeſſili ejus medio pulvinar panno coopertum. Summis autem extremiſque ab ipſius throni lateribus extant duo canum capita, e quorum ore duplicatus pendet funiculus, cujus extremitatibus floccus annexus eſt. Circa ſedis medium, ad dexteram laevamque pulvinaris, ſinguli hinc inde viſuntur orbiculi, referentes SS. Petri, & Pauli capita, eodem ferme

me ritu, quo Imperatorum effigies militaribus signis insertae in vetustis marmoribus conspiciuntur. Thronus iste nonnullam speciem praesefert Memoriae, seu Confessionis, Martyribus olim dicari solitae &c. Occurrit primo de Mensa sive Altari aliqua breviter annotare; quod floccis ornatum est, ut hodie videmus in eorundem Altarium vestibus, sive frontalibus. Secundo, animadvertendum volumen complicatum, & septem sigillis obsignatum; quod profecto nihil aliud denotat, nisi volumen Euangeliorum, quod sigillis olim obsignabatur, de quo plura &c. congessimus, ubi de magna voluminis Euangeliorum veneratione fuse disseruimus. Cur autem septem obsignaretur sigillis, quid aliud in causa, nisi quod librum illum repraesentaret de quo in Apocalypseos cap.5. num.1. ibi: *Et vidi in dextera Sedentis supra thronum librum scriptum intus & foris, signatum sigillis septem*. Antiqui enim Patres in pingendis figuris, ut plurimum usi sunt mysticis sensibus in Apocalypsi latentibus, ut videri potest in Ecclesia S.Pauli; & praecipue in ejus Majori Arcu tempore Leonis Magni constructo, & in aliis Ecclesiis. Tertio loco velamen, & in ejus medio depicta Crux, supraque velum, gemmata corona notanda est &c. Quarto loco gemmata Crux, quae cum suppli-

cium esset apud Gentes, ac rei, & latrones in ea criminum poenas luerent antiqui Christi Fideles maxime circumspecti, noluerunt in ea imaginem Christi patientis affigere, sed potius gemmis, margaritisque ornatam exposuerunt, ut facilius inspicientium oculos absque horrore ad se alliceret, qui earundem gemmarum aurique fulgore perculsi, illam venerarentur. Similes gemmatae Cruces adhuc hodie heic Romae visuntur in antiquissima Ecclesia Sanctae Pudentianae, in Ecclesia S. Stephani *in Rotundo*, & in Ecclesia Lateranensi; quin etiam depictae in nonnullis Coemeteriis cernuntur, ut narrat Aringhius in sua *Roma Subterranea* lib.2.cap.22. & Casalius *de Vet.Sacr. Christian. Ritibus* par. I. cap. 1. Quinto, post Crucem Cathedra observanda est, sive thronus, quem ornatum fuisse antiquissimum apud Majores nostros animadverto; adeo ut Salomonis aevo mos iste viguerit thronum Regalem decorandi caelaturis,& signis &c. A Regibus forte Israelitarum edocti ceteri Principes, postmodum thronis suis ornatum conciliaverunt. Alexander Wilthemius *in suo Dipthyco Leodiensi* (ex quo postea transcripsit Ferrarius in suis Analectis *De Re Vestiaria* pag. mihi 60.) pulcherrimum affert exemplar cujusdam Consulis Romani in throno sedentis, cujus brachiolis sta-

ſtabant duo Leones; in ſedili vero viſuntur gemina hominum capita, ſicut in eo, quem deſcripſimus. Hinc divinari non erit abſonum, ideo juſſu Pontificis Xyſti thronum hunc Beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli capitibus conſulto decoratum fuiſſe, quia ipſis poteſtas a Chriſto Salvatore collata eſt judicandi duodecim Tribus Iſrael: quique ipſi Regi gloriae tamquam a latere ad extremum Orbis criterium aſſiſtere debent. Throni autem in ſummitatibus exprimi canum capita voluit idem Pontifex, ad denotandam fortaſſe vigilantiam & curam, quae in Eccleſiis habenda eſt, quando legitur Euangelium, & in Sede Majeſtatis ſuae Deus adoratur. Huic Hieroglyphico adaptari ſane poteſt S. Auguſtini locus in Epiſt. 56. *ad Dioſcorum, de curioſis quaeſtionibus*, ubi ſic: *Epiſcopi iſti, etiamſi adoleſcentes, eodem, quo tamen raperis animi ardore, vel potius errore, quaſi aliquid magnum haec dicere curarunt, uſque ad Canes Epiſcopales, & uſque ad Cathedras Eccleſiaſticas*. Quare haec S. Auguſtini auctoritas videtur hoc idem hieroglyphicum de *Canum* capitibus in ſummitate throni appoſitis luculenter explicare, illorumque temporum morem in Epiſcopalibus Cathedris ſimilia Canum capita caelandi, ſeu appingendi: hinc etiam iſtud Doctoris maximi dictum aliquibus antea ob-

obſcurum, illuſtrari videtur; cum nonnulli cenſuerint, loco *Canes*, *Canos* legendum eſſe. Non incongruum etiam puto, ſi aliud afferam exemplum picturae, quae eſt in Codice magnae molis imaginibus ornato. Hic olim erat in Monaſterio S. Martini Metenſis, nunc vero aſſervatur in Bibliotheca Colbertina. Exprimitur in eadem depicta tabula Carolus Calvus Rex in throno ſedens, in actu accipiendi eundem Codicem ſibi dono datum. In angulorum ſummitate viſuntur duo Canes invicem ſe reſpicientes ore expanſo, quaſi latrantes; ex quo deduci poſſe exiſtimo antiquum morem ſimilibus Canibus thronorum ſublimia ornandi. Hanc Tabulam in lucem edidit eruditiſſimus Stephanus Balutius in ſuis notis *ad Capitularia* Tom. 2. p. 1276. Sexto, per pannum, quo tegebatur pulvinar, deſignaſſe Chriſti Fideles eam Syndonem, qua Chriſti Domini e Cruce depoſitum corpus fuit involutum, rationi maxime conſonum eſt,,.

23. MISSIO APOSTOLORUM, qui, a Chriſto Domino ſelecti, mandatum acceperunt (Matth. 28. verſ. 19. & Marci 16. verſ. 15.) ut pro ipſo legatione fungentes, univerſum Orbem pervaderent, & ubique Gentibus praedicarent, baptizantes eas in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Omnes Euangeliſtae Petrum primo loco ponunt, (qui Crucem bajulat

julat in hoc Iconiſmo, tanquam Apoſtolicae militiae caput, atque ſtrenuiſſimus anteſignanus), Judam vero poſtremo. Hic, poſtquam innocentem ſanguinem prodidiſſet, a malo daemone agitatus, ac de ſalute deſperans, laqueo ſe ſuſpendit:quare non viſitur in Muſivo; nec item viſitur S. Matthias, qui in ejus locum poſtmodum fuit ſuffectus, nempe poſt ejuſdem Chriſti in Caelum Aſcenſionem, ut habetur Actorum cap. 1. verſ. 14. 15. Quando Apoſtoli Provincias ſortiti, Chriſti legatione apud Ethnicos fungi coeperint, admodum incertum eſt. Fuerunt nonnulli Eccleſiae Scriptores, a quibus traditum eſt, juſſos a Chriſto Diſcipulos fuiſſe, ne ante annos a ſuo in Caelum Aſcenſu duodedecim Hieroſolymis diſcederent. Apollonius antiquus Theologus apud Euſebium lib. 5. *Hiſtor. Eccl.* cap. 18. *tanquam ex veterum Traditione refert, Dominum Apoſtolis ſuis praecepiſſe, ne intra* (vel *ad*) *duodecim annos Hieroſolymis excederent, atque ſepararentur*. Paria habent Clemens Alexandrinus lib. VI. *Stromateon* pag. 762. Edit. Oxon. ſcribens:„ *Propterea dicit Petrus, dixiſſe Dominum Apoſtolis*, Si quis ergo velit ex Iſrael poenitentiam agere, & propter nomen meum credere in Deum, dimittentur ei peccata. Poſt duodecim annos egredimini in Mundum, ne quis dicat, non audi-

INDICULUS TABULAE II. SAECULI I.

audivimus „. *Sed*, ut ait Ven. noster Caesar Card. Baronius ad annum Christi 39. §. 22. *majoris esse fidei Acta Apostolorum a Luca conscripta quavis auctoritate Majorum, nemo negarit*. In his autem cap. 8. 9. & 10. habetur, longe antequam anni illi evolverentur, Petrum, & Joannem Samariam petiisse; ipsum vero Petrum Syriam, Palaestinam peragrasse; & carcere ab Angelo eductum, Judaea, ne dum Hierosolymis, excessisse. Quod si Appollonius, & Clemens Alexandrinus significare voluerunt, non debuisse Apostolos eo intervallo temporis in Provincias longinquas se conferre; jam Eusebius ipse, qui Apollonii locum recitat, nullam ejus auctoritatis rationem habet, ut scite animadvertit Sandinus in Historia Apostolica pag. 18. Scribit enim, Sanctum Petrum an. 42. Romam profectum esse. Illud ergo videtur pro certo habendum, Apostolos, paullo post baptizatum a Petro Centurionem Cornelium, ex Judaeorum Regione profectos, ut Ethnicis quoque Euangelium praedicarent. (Vide *Chronic.* ad ann. 32. & 33. p. 79. & 81.). Tunc enim per visum lintei, omne animantium genus complectentis, ter Caelo demissi, jussus est Petrus, ac proinde ceteri Apostoli, Caelestem Christi Doctrinam etiam cum Gentibus communicare. En Aera, qua processerunt, ut inquit S. Leo Ma-

Magnus (Serm. 80. cap. 3. *ad imbuendum Euangelio Mundum, distributis sibi Terrarum partibus*. Clariss. Praesul Ciampinius hanc *Missionis Apostolorum* Iconam Tom. 2. pag. 128. ita explicat, & illustrat. *Apparet Christus Dominus in medio Apostolorum stans, dextera elevata in actu benedicendi, & sinistra librum apertum sustinens, in quo leguntur* PAX VOBIS *expressa verba, & diademate cum Cruce. Tunicae color est subobscurus violaceus, pallii rubeus. Sub ejus pedibus quatuor erumpunt Flumina, de quibus alibi diximus. Ad dexteram aspicitur Sanctus Petrus, sinistra baculum gerens in summitate Cruce insignitum. Apostoli omnes, sunt tunicis albis multiplici rubea linea mixtis, & palliis albis vestiti; & in eorum fimbriis singuli, singula, diversaque habent Monogrammata. Pedes cum sandaliis: subtus leguntur versus, ex Euangelio descripti*: Euntes docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti: & ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consumationem Saeculi „.

24. CHRISTUS SEDENS AD DEXTERAM PATRIS, ex Triclinio Leoniano Palatii Lateranensis. Christus in Caelo sedere dicitur, tanquam in loco requietis aeternae, ubi est Thronus Regni sui. S. Joannes Chrysostomus

INDICULUS TABULAE II. SAECULI I.

Homil. 59. *contra Anomaeos 6.* paulo poſt medium, (Chriſtum) *a dextris jubet ſedere, ut aequalem honorem, & poteſtatem non inferiorem diſcas. Miniſter enim non ſedet, ſed adſtat. Sedere, Dominicae poteſtatis eſt; adſtare, ſervilis, & ſubjectae conditionis: propterea & Daniel* (VII. 9. 10.) *dicit*: Aſpiciebam, donec poſiti ſunt throni, & Antiquus dierum ſedit.... Decies mille myriades miniſtrabant ei, & mille millia miniſtrabant ei. *Et iterum Iſaias* (VI. 1. 2.) : videbam Dominum ſedentem ſuper thronum excelſum & elevatum ... & Seraphim in circuitu ejus ſteterunt. *Michaeas autem* (3. Regum XXII. 19.): videbam Dominum Deum Iſrael ſedentem ſuper thronum ſuum, & omnis exercitus Caeli ſtabat a dextris ejus, & a ſiniſtris ejus. *Vides ubique ſupernas Virtutes aſſiſtentes, ipſum autem ſedentem? Cum igitur videris & Filium a dextris habentem Cathedram, non miniſtrantis dignitatem quamdam putes, ſed habentis auctoritatem Dominicam. Idcirco & Paulus, cum utraque ſciret, quod adſtare miniſtrantium ſit, ſedere autem imperantium, & praeſidentium, vide quomodo haec ſeparat, dicens* (Hebr. 1. 7. 8.) : Angelis quidem ſuis, inquit, qui facit Angelos ſuos Spiritus, & miniſtros ſuos flammam ignis. Filio autem : Thronus tuus Deus in Saeculum Saeculi : *per thronum, regiam*

regiam potestatem designans. Itaque, cum sermo noster omnino probarit Filii dignitatem, non servilem, sed berilem esse, adoremus quoque, ut Dominum ipsum & Patri honore coaequalem. Et S.Augustinus lib. *de Fide & Symb.* c.7.num. 14. *Credimus etiam, quod* sedet ad dexteram Patris. *Nec ideo tamen, quasi humana forma circumscriptum esse Deum Patrem arbitrandum est, ut de illo cogitantibus dextrum, aut sinistrum latus animo occurrat; aut idipsum, quod sedere Pater dicitur, flexis poplitibus fieri putandum est .... Ad dexteram ergo intelligendum est sic dictum esse, in summa beatitudine, ubi justitia, & pax, & gaudium est .... Sedere ergo quod dicitur Deus, non membrorum positionem, sed judiciariam significat potestatem; quia illa majestas numquam caret, semper digna dignis tribuendo*. Cl. Ciampinius *Veter. Monum.* Tom. 1. pag. 185. ita hoc Musivum exponit: *In hoc Iconismo Christi Domini imago est, qui throno insidet gemmis undequaque conspicuo: aperta dextera benedicere, seu potius loqui, ac docere videtur, laevamque Codici superimponit, qui sinistro ejus genu innititur, & Euangeliorum volumen repraesentat.*(Lectorem heic monitum volo, diligentissimum nostrum Chalcographum, cum speculari charta oleo illita Musivi Ravennatis iconismum delineasset, mendose in-

INDICULUS TABULAE II. SAECULI I.

verso ordine eandem huic Tabulae incidendam applicuisse: quo factum est, ut figurae inverso item ordine heic appareant). *Ejus pallium violaceum colorem refert &c. Caput pretiosi diadematis nimbo coronatur, in quo gemmea Crux est: Scabellum, quod Salvatoris pedibus premitur, duos gradus habet, gemmisque usque ad Cathedram circumfulget. Ab utroque ipsius latere in quodam velut prato, liliis rosisque interspersi stant duo Angeli, & alas expandunt: eorum autem qui ad laevam Salvatoris est, dexterum manum in pectus inflectit, sinistra pallium elevans, simul cum baculo, sive arundine aurea: alter vero dextram elevatam, perinde ac si benediceret, attollit, ac sinistra baculum sive arundinem auream tenet: ambo simplici diademate coronantur: ambo tam pallio, quam vestibus albi coloris induti sunt. Parva stola, auroque nitens e dextro Salvatoris humero pendet. Idem visitur in Angelis, colore solummodo excepto; quia stolas habent albas. Demum prospectus, sive totius Tribunae campus, lucida auri scobe conspersus, undequaque oculos raperet, ni quaedam lacunae ostenderentur, quae elapsis, aevoque dejectis lapillis, calce oppletae sunt. De* baculo *sive arundine, quam Angeli in hoc Musivo opere expressi manu tenent, diximus supra cap. XV.* de baculis. *Licet de certo tempore constructionis*

nis

nis Musivi operis apud Scriptores non constet, nec aliunde expiscari possit, apparet tamen ex gemmato & in formam Crucis diademate, gemmatoque Solio, ac Angelis cum baculis circa Christum Dominum nostrum astantibus, vetustissimum esse opus, ac ipsa redolere tempora aedificationis ipsius Templi, scilicet principium V. Saeculi, ut conferri possunt figurae cum illis Liberianae Basilicae.

25.) ADVENTUS SPIRITUS SANCTI.

26.) Apostoli, cum essent Hierosolymis

27.) congregati (quoniam mandaverat illis Jesus, *ab Hierosolymis ne discederent, sed expectarent promissionem Patris*) in Caenaculo domus (ut videtur) Joannis, cui *Marco* cognomen erat, ibique preces Deo ex consuetudine adhiberent, decimo ab Ascensu Servatoris in Caelum die, quo Festum Pentecostes complebatur (ut scribit S. Lucas), Spiritum Sanctum singulari prodigio descendentem ignitis linguis acceperunt; ejusque Divina virtute ita repleti sunt, ut, qui antea *propter metum Judaeorum* clam in eodem Caenaculo se continebant, audacter exinde, & libere variarum linguarum & intelligendarum, & loquendarum facultate donati, in publicum prodirent, causa praedicandi Christianam Religionem. Ratum namque ipsi habebant, nihil sibi felicius accidere

dere posse, quam ut digni haberentur, qui pro Christo contumelias, vincula, tormenta, Cruces perferrent, vitamque profunderent. Deipara Virgo Maria, una cum XI. Apostolis, & S. Matthia (qui adlectus nuper fuerat in *locum ministerii & Apostolatus, de quo praevaricatus est Judas, ut abiret in locum suum*) visitur in iconismo Tabulae I. monumenti sexti arcuati in Coemeterio Priscillae Via Salaria, aeneis typis expresso ab Aringhio *Romae Subterraneae* Tom. 2. pag. 277. & a nobis repraesentato hoc numero 25., de quo agimus. Verum & plures alios, praeter Mariam, & XI. Apostolos, tunc accepisse Spiritum Sanctum in eodem Caenaculo, luculenter ostendit Sapientissimus Pontifex Summus BENEDICTUS XIV. in Egregio Opere, cui fecit titulum, *de Festis Domini nostri Jesu Christi, Beatae Mariae Virginis, & quorumdam Sanctorum &c.* Scribit enim in eodem, lib. I. cap. XI. num. 11. pag. 341. Edit. Romanae an. 1751.: *Verisimile est, omnes simul, centum & viginti admodum fuisse. Nam totidem, paucis ante diebus, ad S. Matthiae electionem convenerant. Beza ibi nonnisi Apostolos fuisse contendit, qui jure vapulat a Tirino in cap. 2. Actor. Apostolor.* Beza id inepte restringit ad solos Apostolos. *Eumdem confutat etiam haereticarum partium scriptor Joannes Christophorus*

rus Harembergius Differt. De miraculo Pentecostali, num.9. „ Homines, qui interfuerunt huic miraculo, sunt vel Candidati Spiritus Sancti, vel Spectatores. Candidati, illi erant viginti ultra centum, quos Petrus paullo ante adloqutus erat, & quorum consensu Matthiae sortito Apostolatus obtigerat. Quis vero dubitat, quin Apostoli cum ceteris Christianis cultus sacri causa fuerint in uno loco? Nec alibi solis Apostolis dona Spiritus Sancti, & linguarum concessa, sed potius cum ceteris Christianis communicata sunt „. *Praeterea fidenter responderi potest, super omnes Spiritum Sanctum fuisse delapsum*. Sedit *enim* supra singulos eorum: *verba sunt ex cap.2. Act.Apostol. Quamobrem Chrysostomus Homilia 4. in idem caput ita scribit*: Quid autem? An in duodecim venit tantum, non etiam in ceteros? Nequaquam: sed venit etiam in illos centum viginti. *Idem confirmat D.Augustinus Tract.19. in Joannem*: Centum & novem, cum Apostolis undecim, centum & viginti erant, quando simul congregati post ejus Ascensum expectaverunt, & receperunt Spiritum Sanctum,,. Huc usque SS.P.Benedictus Matth.c.3.v.16. legitur, *baptizatus autem Jesus, confestim ascendit de aqua. Et ecce aperti sunt Caeli, & vidit Spiritum Dei descendentem, sicut Columbam*. Et Marci cap.1. vers.9. *baptizatus est*

INDICULUS TABULAE II SAECULI I.

est a Joanne in Jordane. Et statim ascendens de aqua, vidit Caelos apertos, & Spiritum tamquam Columbam descendentem, & manentem in ipso. Et vox facta est de Caelis: „ Tu es Filius meus dilectus, in te complacui „: demum Lucae cap. 2. vers. 21. *factum est autem cum baptizaretur omnis populus, & Jesu baptizato, & orante, apertum est Caelum, & descendit Spiritus Sanctus corporali specie sicut Columba in ipsum, & vox de Caelo facta est:* „ Tu es Filius meus dilectus, in te complacui „. Cum ergo Spiritus Sanctus in Columbae specie descenderit, Musivum Cathedralis Ecclesiae Capuanae, numero 26. æri incisum, ejusdem Spiritus Paracleti (qui eadem est, atque Pater & Filius, natura) Personam, ex Patre Filioque procedentem, sub forma Columbae triangulo redimitae, repraesentat. Doctissimus Lamy in *Harmonia Euangelica* lib. 2. cap. 5. luculenter ostendit, in Christi baptismate patefactam esse Trinitatem Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, quae Personarum numero distinguitur in una eademque natura. Trigoni similitudo a veteribus Christianis Platonicae scholae processit; ut dicam infra in Indiculo Tabulae II. Saeculi Secundi num. 157. In Thesauro Dissertationum in Novum Testamentum, edito Amstelodami an. 1702. Tom. 2., exstat Dissertatio

tatio Augustini Varenii, *de Columba super capite Christi visa*. Noster Numerus 27. exhibet Tabulam primam monumenti sexti arcuati in Coemeterio Priscillae Via Salaria, cujus orthographiam ex ære incisam nobis dedit Aringhius *Romae Subterraneae* Tom. 2. pag. 277. & & seq. Visitur in ea, Primo, Deipara Virgo Maria, media inter Apostolos, in Coenaculo considens, (quod iterato majoribus figuris oculis intuentium subjecimus in hac Tabula num. 25.) : Secundo, Jonas ab immani Ceti ore incolumis ad Maris litus projectus : Tertio, ipsemet iterum Jonas sub umbraculo admota capiti dextera consistens : Quarto, Mulier quaedam exporrectis in altum manibus orans: Quinto, Abraham, qui evaginatum dextera gladium, sinistra vero Isaacum Filium immolandum tenet; juxta quos Hircus, omnem praeter spem, Sacrificio illi suffectus a Domino: Sexto, Tres denique Pueri in Babilonicam Fornacem injecti, qui pilum more Persarum impositum capiti gestantes repraesentantur : Septimo, Fornacis Babilonicae Minister, qui ligna admovet.

28. VITRUM NEOPHYTI CONVIVALE, ex Imagine Vitrea apud Bonarrotium Tab. VI. Libri, cui fecit titulum, *Osservazioni sopra alcuni frammenti di vasi antichi di vetro*. Convivales Epulae a Neophytis, Ministro sacri

INDICULUS TABULAE II. SAECULI I.

baptisinatis, & Susceptori, exhibebantur. Qui mos apud plerasque Nationes Saeculo Christi quarto adeo invaluerat, ut multi inopiae causa a baptismo revocarentur. Quos graviter arguens S. Gregorius Nazianzenus Oratione 40. *in sanctum Baptisma*, illam sententiam eis persuadere non desinit, fore, ut nihil de gratia imminuatur, si utrosque vel tenui, vel nullo convivio exceperint. Ita enim scribit pag. 655. *Turpe est dicere, ubi est munus, quod propter Baptismum offeram? Ubi splendida vestis, in qua explendescam? Ubi ea, quae ad Initiatores meos excipiendos requiruntur? ut in his quoque rebus nominis celebritatem consequar? Valde enim, uti vides, haec necessaria sunt: ac propterea Gratia imminuetur. Ne in magnis rebus, minuta & levicula in rationem mittas: ne turpi aliquo & abjecto affectu te duci patiaris. Sublimius est hoc Sacramentum iis rebus, quae in oculorum aspectum cadunt. Teipsum offer, Christum indue, honesta, & laudabili vita me ale: sic ego excipi laetor, sic etiam Deus, qui maxima quaeque beneficia nobis elargitur.* Quo loco verbum, *Initiatores*, ad Ministrum, & Susceptorem referri nemo non videt; cum illi praecipue ad initiandi mysteria operam atque auxilium praestarent. Graeca S.Gregorii vox βαπτιστῶν, idest *baptizantium*, pro Initia-

tiatoribus posita est: cum enim Minister unus solum fuerit, necesse est, baptizantium nomine etiam Susceptorem intelligere, qui Ministro baptizanti opem ferebat: & licet (inquit Joseph Vicecomes *Observationum Ecclesiast. de antiquis Baptismi ritibus, & caeremoniis* lib. V. cap. 47. pag. 405. edit. Mediolanen. an. 1615.) S. Gregorii verbis tum Graecis, tum Latinis ipse convivii usus expressus non fuerit, possumus tamen illum vel conjectura elicere; quoniam voci δεξίωσιν, aut verbo *excipiendos*, nulla commodior sententia subest; ut constat etiam ex Nicetae Expositione, quae sic habet: *at*, inquies, *munus parabo, splendidamque vestem, quam post baptismum induam, atque etiam mensam, qua Initiatorem meum excipiam: ne haec quidem necessaria sunt, nec, si ita praeparatus non fueris, propterea baptismi gratiae quicquam decidet*: mensae enim vocem ad convivium referre oportet. Clarissimus Bonarrotius in Opere mox laudato Tab. VI. Fig. 1. ectypon hujus vitri refert, ac fuso calamo exponit pag. 40. & seqq. Sed multa sunt, quae impediant, quominus ego in ejus sententiam abeam. Exstat & apud Aringhium Tom. 1. pag. 295. Sarcophagus marmoreus ex Vaticano Coemeterio effossus, in quo visitur, ut in hoc vitro, Christus Dominus medius duos inter Viros, & stans in

INDICULUS TABULAE II SAECULI I.

montis cacumine, e quo flumina quatuor egrediuntur. TransfigurationemChristi ego in utroque repraesentari censeo. Duo Viri, sunt Moyses, ac Elias, testes legis, & Prophetarum, cum quibus Christus loquitur de rebus, quas brevi erat Hierosolymis passurus. Volumen expansum, quod DomINVS Jesus in sinistra manu tenet in vitro, ejus Personam indicat. Subter, in alio monticulo, ad cujus radices Jordanes, visitur Agnus stans, cui plures oves circumstant auscultantes. Bethlehem quoque cernitur (BECLE mendose in vitro), in cujus suburbio Agnus Dei, qui tollit peccatum Mundi, natus est; & *Hierusalem*, in qua occisus. Quoniam vero accedenti ad Deum per baptisma oportet credere quia est, & quia Remunerator est, ut scribit Apostolus, hinc in eodem vitro praefigurata cernitur superne gloria Transfigurati in monte Redemptoris, ubi a tribus Apostolis beatae vitae gaudia fuerunt praegustata. Jordanes scaturiens subtus Agnum stantem, symbolum est lavacri eorum, qui nomen dederunt Christianae Religioni, & ingressi sunt pascua Boni Pastoris, ut videre licet apud S. Augustinum Serm. 265. alias 6. ex Add. Tom. V. Operum ejus pag. 108. Edit. Paris. Monachorum S. Mauri. Si quis autem superiorem vitri partem maluerit interpretari de Ser-

Sermone Domini in Monte, ego non repugnabo: post baptisma enim Jesus fecit suae Praedicationis exordium in universa Judaea, incipiens a Galilaea, ubi educatus fuerat in Urbe Nazareth, ad quam post susceptum a Johanne baptismum, actumque in Deserto quadraginta dierum jejunium, rediit, ut est in Euangelio Divi Lucae cap. 4. vers. 16. e 31. Oves illae circa Agnum stantes, & audientes balatum ejus, forte etiam indicant Christum Dominum ex Judaea non excessisse docendo, nec Gentibus Euangelium praedicasse, juxta ejus verba apud Matthaeum cap. XV. vers. 21. & 24. *Non sum missus, nisi ad oves, quae perierunt domus Israel*: quorum tamen verborum haec est, ut reliquos Patres sileam, D. Augustini interpretatio *Tract.* 47. in Johannem: *Quid est ergo*: Non sum missus nisi ad oves, quae perierunt domus Israel? *Nisi, quia praesentiam suam corporalem non exhibuit nisi populo Israel. Ad Gentes non perrexit ipse, sed misit: ad populum vero Israel, & misit, & venit ipse.* Acclamatio convivalis PIE Zezes (*bibe, vivas*) quae ex parte deest in hoc vitro, epulas significat a Neophyto propinatas Ministro, & Susceptori suo post sacrum Baptisma.

29. NOVA HIERUSALEM APOCALYPSEOS, ex Musivo Ecclesiae S. Praxedis. Hujus ex-

INDICULUS TABULAE II. SAECULI I.

explicandi non esse mihi laborem suscipiendum censeo, quoniam singularum partium illustrationi operam, quantum velis, dedit Cl. Ciampinius *Veter. Monum.* Tom. 2. p. 144. *Arcus iste*, (inquit, ab Artificis laude initium ducens) *Musivo eleganti opere extensus, a temporis injuria aliqua in parte diminutus est. Figurae in eodem expressae, quod in Apocalypsi cap. 7. continetur, repraesentant: nempe in arcus summitate quaedam Civitas apparet, in cujus medio stat Christus, sinistra globum Cruce insignitum sustinens; ad dexteram est Angelus, utpote etiam ad sinistram alter, itidem novem ad dexteram, totidemque ad sinistram visuntur virorum Figurae diadematae, veluti dona offerentes. Ad portas Civitatis duo sunt Angeli, unus in limine portae, alter extra; ac prope eam, qui ad dexteram, dextera manu proximae multitudini indigitat Civitatis portam, juxta eum multitudo hominum dona ferentium est, tendentiumque ad Civitatem. Quid ista hominum multitudo denotet, me minime fallere autumo, si asseram, Monachorum, aliorumque Religiosorum turbam indicare, qui in Via Domini ad Civitatem Sanctam Hierusalem progrediuntur: nam vestes, quibus ipsi induti apparent, Monachos esse demonstrant. Ad sinistram, ut dixi, extra Portam est alius Angelus, ad* cujus

cujus dexteram stat vir diadematus, utpote etiam ad sinistram alius similis vir, pone quem est alia virorum multitudo. Quid hoc significat Hieroglyphicum? ita expono: per duos viros ad Angeli dexteram, & sinistram, Beatos Apostolos Petrum, & Paulum significari puto: nam Beatus Petrus proximior portae videtur, ab Angelo turbae indigitari, ut Caeli Janitor. Turba autem subsequens, Clericorum coetum repraesentat, ut ex ipsis colligo vestibus. Ab utraque supradictarum Imaginum parte alia hominum multitudo, palmas manibus extollentium, ceterorum Fidelium populus creditur. Major allatorum emblematum pars, ex Apocalypsi cap. 21. num. 2. desumpta est, ubi perscrutator ille Divinitatis Joannes suam hanc exponit visionem: „ Vidi Sanctam Civitatem, Hierusalem novam, descendentem de Caelo a Deo paratam, sicut Sponsam ornatam Viro suo. Et audivi vocem magnam de throno dicentem: Ecce Tabernaculum Dei cum hominibus, & habitavit cum eis &c. „ *Musivarius igitur Artifex, ut potuit, B. Joannis Euangelistae visionem sic adumbrare fategit; pro monte magno, sumpsit arcus summitatem, in qua narratam Civitatem mirabiliter perlucentibus ac quadratis Musivis lapidibus efformavit, in cujus medio Christum Dominum nostrum stantem, sinistraque globum tenen-*

INDICULUS TABULAE II. SAECULI I.

tenentem collocavit. Quod hieroglyphicum adaptari posse judico verbis illius ejusdem visionis: „ Et Templum non vidi in ea. Dominus enim Deus Omnipotens Templum illius est & Agnus„. *Jure igitur in medio Civitatis, ubi Templa construi solent, Dominum posuit, ad cujus designandam omnipotentiam, Mundum in ejus expressit manu. Qui vero intra muros cum diadematibus circumstant, a Musivario ad Sanctos indicandos efformatos fuisse arbitror, qui aeterna beatitudine fruuntur, ut in laudata innuitur Visione*: „ & ambulabunt Gentes per lumen ejus; & Reges Terrae offerent gloriam suam, & honorem in illam &c. „ *Angelus vero, qui extra Civitatem est, & ingressum in Civitatem indigitat, illum repraesentare credo, de quo in eadem Visione scripsit B. Joannes*: „ ostendit mihi Civitatem sanctam Hierusalem &c. „ *Multitudo vero Virorum, quae tam ad dexteram, quam ad sinistram Civitatis est, pro electorum Turba expressa est. Sub his aliae Turbae cum palmis, quas fortasse repraesentare autumo, de quibus itidem in eadem Apocalypsi cap. 7. num. 9. habemus haec*: „ Post haec vidi Turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus Gentibus, & Tribubus, & Populis, & linguis, stantes ante thronum, & in conspectu Agni amicti stolis

ſtolis albis, & palmae in manibus eorum „ : *Hac autem innumerabili multitudine, Fidelium Eccleſiae turba abſque dubio in libro vitae Scriptorum demonſtratur*.

30. KALENDARIUM ROMANUM VETUS ſub Conſtantio Imperatore Conſtantini Magni Filio editum circa annum Chriſti 354., & *Valentino* cuidam inſcriptum a Furio Dionyſio Philocalo, (ut ſcribit Joannes Albertus Fabricius *in Bibl. Latina* lib.4. cap.6.). Vulgatum fuit a Jo. Georgio Hervvarto ab Hochenburg, & ante anaptyxin Faſtorum Ovidianorum Caroli Neapolis, atque in Uranologio Petaviano pag. 67; praeterea ad calcem libri quarti Commentariorum Lambecianorum, additis e Ms. Codice Vindobonenſi iconibus Menſium æri inciſis, quibus Tetraſticha Auſonii in Menſes belle reſpondent. Lambecii Editionem, cum ejuſdem notis, & iiſdem antiquis iconibus nitide deſcriptis ære, recudi curavit Graevius Tomo VIII. Hoc idem Kalendarium, ſed mutilum, & nonnullis iconibus deſtitutum, ex Roſvveidi ſchedis a Bollando acceptum edidit Aegidius Bucherius *in Commentario de Doctrina temporum in Victoris Aquitani Canonem Paſchalem*, pag. 275. & ſeqq. Roſvveidus vero illud deſcripſerat e Codice Fabricii Peireſcii, qui de eo illuſtran-

 do

INDICULUS TABULAE II. SAECULI I.

do cogitavit. Vide Gassendum in Peirescii vita ad an. 1617. & 1620. En autem paucis luculentum de eodem Kalendario, in Consulatu VII. Constantii desinente, judicium laudati Bucherii pag. 274. *Praecipuas*, inquit, *Constantini Magni, filiique Constantii de Tyrannis, Barbarisque victorias, velut adhuc calentes exhibet, & suis diebus assignat. Quin & in Caesarum Natalibus eundem Constantium, non, ut reliquos Imperatores mortuos, Divum, sed ut adhuc superstitem, Dominum appellat. Opusculi pretium accendunt non pauca, tum ad sacram, tum ad civilem historiam heic prodita, aliis intacta, ut tute, Lector, statim agnosces. Dolendum, quatuor mensibus, Martio, Aprili, Majo, & Junio truncatum ad nos pervenisse: plura enim historica forsitan hausissemus. Mensium septem figurae, imaginesve supersunt; in quas Ausonius Idyllio XX. lusit, eoque altam earum aetatem asserit. VALENTINO cuidam inscribitur, mihi hactenus ignoto, nisi quod paulo ante, Basilicam a IVLIO Pontifice, Via Flaminia, milliario secundo constructam, VALENTINI appellatam notem. An idem sit, cogitandum relinquo. Sane Valentinum illum Basilica illustrem, Christianum fuisse necessum est. Contra, hujus Kalendarii solemnia omnia*

omnia Gentilium sunt, nulla Christianorum. Votum tamen Kalendarii titulo conceptum, Valentine floreas in Deo, & literae Dominicales, Christianum illum innuunt. Literae proxime adhaerentes Octonariae, aut incluso utroque extremo Novenariae, veterum Romanorum Nundinales sunt, ut per se patet. Atque hinc colligere est, quis Romae per ea tempora priscae superstitionis, quis Fidei Christianae status exstiterit.

31.) KALENDARIUM ROMANUM

32.) concinnatum sub Liberio Papa, quod, (ut scribit Ruinartius *in Actis Martyrum sinceris* pag. 691. Romanae Ecclesiae usui fuit, debemusque Viro *sacrae Antiquitatis studiosissimo Aegidio Bucherio Presbytero Societatis Jesu*. Liberii tempore, id est circa Saeculi quarti medium, concinnatum fuisse, patet tum ex Pontificibus, qui in eo memorantur, tum ex Catalogo omnium Romanorum Pontificum ipsi subjuncto, qui in Liberio desinit, sine ulla ejus exitus mentione. Kalendarium istud partes in duas dividitur: prima hunc habet titulum, *Depositio Episcoporum* Romae; secunda vero, *Item Depositio Martyrum* quorundam per omnes menses, excepto Aprili. Pontificum Romanorum nomina in prima exhibentur, a Lucio, usque ad Julium Liberii decessorem,

INDICULUS TABULAE II. SAECULI I.

demto Sixto, qui inter Martyres recensetur & Marcello, qui nescio, qua de causa nec inter Pontifices, nec inter Martyres locum habet. Inter Martyres recensentur etiam Fabianus, Callistus, & Pontianus. Hoc Kalendarium Bucherii Liberianum concinnatum fuisse Romae nullus dubito: nam, ut animadvertit laudatus Ruinartius *in Praefatione in Acta Martyrum*, de quibus supra, pag. XVI. ita Romanae Ecclesiae proprium fuit, ut cum Sancti Cypriani nomen profert, statim subjiciat locum, ubi Romae ejus Festivitas celebretur, *Romae celebratur in Callisti*. Unde liquet, de iis tantummodo Martyribus in eo agi, quorum Festivitas in aliquibus Urbis Titulis aut Ecclesiis colebatur. Ad Romanam Ecclesiam spectasse ex eo etiam evincitur, quod in Episcoporum Depositionibus solos Pontifices Romanos exhibeat, ne unum quidem ex aliis etiam vicinioribus, & Urbibus, ut ita dicam, suburbanis. Titulus praefixus Kalendario Ecclesiae Carthaginiensis Mabilloniano rem apertius exponit. Sic enim habet: *Heic continentur dies Nataliciorum Martyrum, & Depositiones Episcoporum, quos Ecclesia Carthagenis anniversaria celebrant*. Episcopi in hoc titulo memorati, alii non sunt, quam Carthaginienses. Nam, praeter Augustinum ubique celeberrimum, & paucos

paucos Martyres Episcopos illustriores, nullus in eo Kalendario ex aliis Ecclesiis, etiam Africanis, Episcopus memoratur. Deinde aliis Africae Ecclesiis commune non fuisse, patet ex aliquot Ecclesiae Hipponensis Festivitatibus ab Augustino memoratis, quae in isto Kalendario non inveniuntur. Nulla heic Sanctorum Fructuosi, & Sociorum memoria, de quibus Augustinus Sermonem 273. habuit. Nulla etiam viginti Martyrum, quos idem Sanctus Doctor laudat Sermone 325. Praetermissi item *Felix, & Gennadius antiqui Martyres* Uzalenses, de quibus in lib. 1. *de Miraculis Sancti Stephani* c. 2. &c. Ejusmodi autem Kalendaria, in quibus suos Martyres, & Episcopos singulariter celebrabant, singulas Ecclesias habuisse patet ex Sozomeno lib. 5. *Historiae Eccles.* cap. 3. ubi de Gaza, & Constantia Palaestinae Civitatibus, viginti tantum stadiis a se invicem dissitis, observat, etiam si Magistratus eosdem, ac Duumviros, communemque rempublicam haberent, dua tamen ac disparatas ratione Ecclesiastici regiminis Urbes extitisse: cujus rei hanc rationem reddit: *Utraque enim suum seorsum habet Episcopum, suum Clerum, dies item Festos Martyrum suorum, & commemorationes Episcoporum, qui ipsis praefuerunt*: proindeque peculiare Kalendarium, cui nec alieni Martyres, nec

INDICULUS TABULAE II. SAECULI I.

nec alieni Episcopi inscripti erant. Ex Diptychis tamen aliquot Antistitum, maxime Patriarchalium Ecclesiarum, nomina recensebantur in Sacris Mysteriis ob communionis unitatem: sed de his modo non agitur. Porro adeo externarum Regionum Martyres in ejusmodi Fastis locum non habebant; ut aliquot etiam ex iis ipsis, qui in eadem urbe, ubi haec confecta sunt, Martyrium compleverant, desiderarentur. Quod ob ingentem eorum multitudinem evenisse arbitramur, aut certe, quod ob persecutionis fervorem, plerorumque Martyrum nomina, aut sepulcra tunc ignorarentur. *Innumeros* Martyres Romae ignotos fuisse, asseverat Prudentius lib. *de Coronis* Hymno XI. Consentiunt Sanctus Paulinus, Leo Magnus, & alii passim Auctores. Nonnullos ex ejusmodi Martyribus recenset Mabillonius *in Itinere Italico* p. 139. quorum nomina tandem ex effossis Inscriptionibus innotuerunt apud Aringhium, Reynesium, Bosium &c. Ex his, in nostras I. II. & III. Saeculi Tabulas sunt illati Primitius, cujus Epitaphium, ipsi a propria uxore positum, habetur *Romae Subterraneae* lib. 3. cap. 22; Gordianus Galliae nuntius, qui cum tota Familia pro Fide jugulatus est ibidem; Marcella cum CCCCCL. aliis, lib. 4. cap. 37; Simplicius & Faustinus lib. 2. cap. 19. His adjunge Con-

Conſtantium, qui veneno propinato, nonniſi ferro potuit occidi, lib. 3. cap. 22.; Rufinum cum CL. Martyribus lib. 4. cap. 37; Simplicium & Servilianum apud Boſium lib. 3. cap. 27. Idem in aliis quoque urbibus contigit. Certe apud Mediolanum Gervaſii, & Protaſii nomina & ſepulcra ignota erant, priuſquam a Beato Ambroſio eorum corpora detegerentur, teſte Paulino, quod etiam ex ipſiuſmet Ambroſii Epiſtola 56. certum eſt. Quin etiam aliquot ex notiſſimis & illuſtrioribus Martyribus in ejuſmodi Faſtis deſunt: quod de iis omnibus, qui Apoſtolicis temporibus floruere, fatetur Dodvvellus. Verum id ad ſubſequentia quoque tempora debere extendi certum eſt, cum in laudato Bucheriano Kalendario nec Ignatius Martyr recenſeatur, qui Romae ſub Trajano paſſus eſt; nec Teleſphorus ipſius Urbis Pontifex; nec Lucius, ejuſque Socii, a Juſtino Martyre memorati, ſub Antoninis paſſi; nec Apollonius, qui ſub Commodo martyrium pertulit; nec Quartus, qui, teſte Sancto Cypriano, cum Sixto Papa animadverſus eſt; nec Moyſes, aliique a Cypriano laudati, qui ſub Decii, aut Valeriani perſecutione conſummati ſunt; nec Soter Virgo nobiliſſima, quam Sanctus Ambroſius ejus conſanguineus laudat &c. Denique multos laudat Damaſus Liberii ſucceſſor

cessor in extremis persecutionibus coronatos; qui tamen in his Fastis non memorantur, quales sunt Petrus & Marcellinus Carmine 12., Maurus Carm. 21., Eutychius Carm. 31., Tarsicius acolythus, qui mori maluit, quam Sacra Gentilibus tradere Carm. 35., Chrysantus & Daria Carm. 36. &c. Alios item Martyres suo tempore celebres commemorat Sanctus Gregorius Magnus, de quibus nihil in eodem Kalendario habetur; quod forte tunc nondum eorum Festivitates essent institutae. Homiliam 28. in Euangelia habuit *ad Tumbam* Sanctorum Nerei & Achillei, in die eorum Festo; Homiliam 32. *ad Corpora* Sanctorum Processi & Martiniani: item aliam, scilicet 13. in Natali S. Felicis; 34. in Natali Sanctorum Johannis & Pauli, & sequentem in Natali Sancti Mennae &c. Sed & vetustiora testimonia habemus de aliis Martyribus Romanis, tum in Missalibus Leoniano, & Gelasiano, tum in Concilio Romano sub Symmacho, ubi varii Martyrum Tituli, idest Basilicae, recensentur.

33.) KALENDARIUM CARTHAGI-
34.) NENSE. Hoc Kalendarium San-
35.) ctorum, quod olim Carthaginiensis Ecclesia quotannis recolebat, Africanum dicere licet, omnium, quae hactenus typis vulgata sunt (ut quidem putat Doctissimus Pater Ma-

Mabillonius Tom. 3. *Veterum Analectorum* edit. Parif. an. 1682. pag. 402. in Obfervationibus, quas eidem Kalendario fubjecit), antiquiffimum, & rariffimum. Repertum ab eo fuit felici cafu in quodam veterrimo Codice celebris Monafterii Cluniacenfis, continente Beati Hieronymi Commentarios in Ifaiam, immo non in Codice, fed Codicis ligneo operculo, tineis ac vermibus corrofo, affixum. Opere pretium fuit vetuftiffimam & femefam membranam a ligno cariofo divellere. Operculi pars antica Kalendarii principium, poftica reliquum continebat. Scriptura Romana eft, literis majufculis exarata, Saeculo feptimo non inferior. Antiquius eft Kalendarium, cum in eo nulli Sancti, nedum Fulgentius Epifcopus, reperiantur iis pofteriores, qui in Vandalorum perfecutione fub Hunnerico Rege paffi funt; quamvis eos, qui initio Vandalorum perfecutionis vixerunt, repraefentet. Septem in eo Carthaginienfes Epifcopi, præter S. Cyprianum, memorantur. Qui tunc in Africa annuo cultu honorabantur Sancti, plerique erant Populares: quidam tamen ex Italia, & ex Hifpania, praeter Apoftolicos Viros. Nullum Deiparae feftum, de qua nullus apud Auguftinum Tractatus, feu Sermo. Annus a XIII. Kal. Maji incipit, nempe poft Pafcha: definit in XIII.

hac Tabula num. 31. & 32.) Liberii tempore, idest circa Saeculi quarti medium, fuit concinnatum. Alterum est hoc, de quo loquimur, ab eruditissimo Viro Domno Johanne Mabillonio ex veteribus membranis pene corrosis Monasterii Cluniacensis erutum, & Saeculo sequenti scriptum. Albertus Fabritius *in Bibliotheca Latina* ipsum dicit, *antiquissimum forte ex iis, quae habemus*. Est Romano amplius: multos tamen Martyres omittit aliunde notissimos. Non Rutilium exhibet, qui teste Tertulliano in libro *de Fuga*, post evitatos saepius persecutores, tandem comprehensus, igne martyrium consummavit; nec Mavilum, qui ex eodem Tertulliano ad Scapulam, apud Adrumetum sub Severo Principe ad bestias damnatus est. Immo non ibi recensentur Laurentius, Ignatius, & Celerina; non Bassus, Fortunio, aliique Martyres Carthaginienses, in Cyprianicis Epistolis laudati. Idem observari potest etiam in aliis Kalendariis postea concinnatis, ut in illo Jo: Frontonis, quod est 900. annis antiquius; itemque in alio edito ab Edmundo Martene Tomo V. *Thesauri Anecdotorum*. Dacherius quoque *in Spicilegio* Tomo X. & Ven. Card. Thomasius *in Responsorialibus* Kalendaria vetustissima publica luce donarunt, de quibus Editores in Praefationibus consulantur.

Indiculus Tabulae II. Saeculi I.

INDICULUS TABULAE II. SAECULI I.

36. AUGUSTI APOTHEOSIS *in Achate sacrae Capellae* Parisinae. Qua majori longitudine, est unius pedis Regii, aliquot demtis lineis; qua majori vero latitudine, decem pollicum. Imperator Balduinus secundus (ut fertur) hoc Priscorum artis & industriae miraculum illuc attulit circa annum 1244. Tristanus a S. Amando, Vir inter praestantissimos rei antiquariae cultores Aevi sui, edidit super hoc Achate luculentam Dissertationem, qua perlecta a Domino Peirescio (ut Petrus Gassendus refert in ejus Vita) ipse abiit, ut plurimum, in sententiam a Tristani opinione longe diversam. Albertus Rubenius quoque Diatribam de hac gemma omnino incomparabili evulgavit, in qua Peirescii explicationem, alteri Tristani esse anteponendam censet. Post hos Clarissimos Viros Jacobus Le Roi in idem Cimelium, sacrae Capellae ocellum, Dissertationem luculentissimam concinnavit, editam Amstelodami an. 1683. quae omnium praecedentium Scriptorum affert sententias, & singulas gemmae partes illustrat. Auctor modo hunc, modo illum Scriptorem sequitur, sed & quandoque neminem. Universas Diatribas simul typis dedit, ut nihil amplius Lector desideraret. Palmam tamen omnibus praeripuit Doctissimus Montfauconius, qui Tom. V. Part. I. Operis in-

inſcripti *L' antiquité expliquée &c.* libro IV. cap.X. pag. 154. & ſeqq. Auguſti Apotheoſim, in hoc Achate ſacrae Capellae ſcalptam ad artis miraculum, ita ſapientiſſime illuſtrat: *Etiam poſtquam tot tamque docti Viri circa hoc anaglyphum ſententiam dixere, non videtur mihi res ubique uſque adeo clara & enucleata eſſe. Pauca ſunt, in quibus omnes conſentiant: in aliis vero ſententiarum diverſitas magnam parit caliginem. Omnes itaque imaginis hujuſce partes paucis explicaturus accedo. Quaedam ſunt, etiam ex praecipuis, circa quae cum nullo ex iis, qui prius dixerint, conſentio. In aliis vero ex jam propoſitis explicationibus illas adhibeo, quae mihi ad rei veritatem propius accedere videntur. Imago tota tres in partes dividitur, in ſupremam ſcilicet, mediam, & infimam. In ſuprema parte, ut quidem exiſtimo, repraeſentatur Apotheoſis Auguſti: in media, Imperator Tiberius Germanicum ex Germania re ſtrenue geſta redeuntem excipit: in infima, continentur captivi, & victoriae ſigna. Monendum exiſtimo, vultuum ſimilitudines tum in cuſis imaginibus, tum etiam in ipſo lapide non uſquequaque perfectas eſſe: id vero animadverti jam aliquot abhinc annis, cum ipſum monumentum inſpicerem. In expreſſis autem imaginibus etiam multo magis deflectunt capita atque imagines a ſimilitudine cum num-*

INDICULUS TABULAE II. SAECULI I.

nummariis figuris: scalptores quoque, oculorum aciem nigro alioque colore exprimunt, quae, cum in anaglypho non compareant, aliquam pariunt in vultibus dissimilitudinem: aliunde vero, quantumvis diligenter attendant, aliquam tamen in scalpendo differentiam vultuum praestant. In prima, sublimioreque parte, quae quinque Personas continet, ne una quidem est, circa quam omnes supra memorati Scriptores consentiant, adeo ut Jacobus Le Roi arbitretur, Cupidinem illum alatum, qui Pegasum habenis ducit, esse Germanici filium, Cupidinis forma depictum. Prima figura, quae medium, praecipuumque locum tenet, magnam peperit controversiam. Ea coronam radiatam gestat: pone coronam, velum est, partem capitis operiens, & in humeros defluens; manu vero sinistra sceptrum tenet. Jovem esse dicit Tristanus: reclamant tres alii, nec sine causa: licet enim Juppiter in nonnullis imaginibus imberbis repraesentetur, illae imagines perrarae sunt, & ad quaedam loca peculiariter pertinent; nec debent heic in exemplum adduci, cum maxime nullum praeterea heic adsit Jovis signum, aut symbolum. Tres illi, qui Tristani Jovem esse dicentis sententiam repudiant, Augustum esse dicunt, cui ego sententiae ne adstipuler multa suadent: neque enim Augustum refert: corona item illa radiata nusquam in

in Augusti imaginibus visa fuit. Tunica etiam ejus omnino muliebris esse videtur, quod utique deprehendas, si conferas cum aliis aliarum feminarum hoc in anaglypho comprehensarum tunicis, quae feminae omnes in secunda imaginis parte consistunt, excepta tamen Agrippina, quae, ut dicemus, chlamydem ad Viri modum gestat. Putarim ego Deam esse, & quidem Venerem Reginam, aut Venerem Genitricem, cum Aenea filio, qui ejus gremio haerere videtur, & ex altera parte cum Julio Caesare, ex Aenea, ut ipse quidem putabat, omnesque dicebant, originem ducente, atque adeo ex Venere ipsa: sic Virgilius,

Julius a magno demissum nomen Iulo,
idest Ascanio Aeneae filio. A dextris Veneris, est Cupido ejus filius alter, qui Pegasum habenis ducit, Augustum lauro coronatum gestantem. Cupido Augustum matri offert, ut in societatem totius familiae in Deorum numerum receptae admittatur. Aeneas Augusto Orbem, ut puto, Caelestem offert, ut significet eum jam regnaturum in Caelo, ut in terra regnavit. Haec est opinio, vel, ut tutius dicam, conjectura mea. Venus cum filiis, nepotibusque praecipuis sic Augustum in Caelestem turbam, atque societatem admittit. Venus coronata sceptrum tenet; quo significatur, eam in Caelo regnare cum filiis,

alii. Frustra dicitur, Augustum heic, quam par est juniorem esse videri: in Nummis etiam juvenis conspicitur, hocque caput cum Nummis consentit. Pars anaglyphi media, quae quasi aliam efficit imaginem, longe facilius explicatur, quam prior. Tiberius Imperator lauro coronatus in solio sedet, sceptrum dextera tenens, & lituum sinistra. Superne nudus a zona ad pedes usque tegitur Aegide serpentibus circumdata. Negat Tristanus Aegidem esse, sed ab aliis omnibus rejicitur. A dextris Tiberii sedet Livia, quam pro Antonia male habuit Tristanus. Livia lauro coronata, papavera tenet ut Ceres. Tam frequenter in Nummis Augustarum visuntur Dearum symbola gestantes, ut nihil hinc difficultatis suboriri possit. Imperator Tiberius Germanicum alloquitur armis instructum, & manum galeae imponentem, dum Antonia mater ejus, quae lauro coronata adest, ipsum brachio complecti videtur. Tristanus, qui Antoniam pro Livia habuit, haud dubie lapsus est. Germanicus Imperatori se sistit post expeditionem Germanicam, ut probe ait Tristanus. Hinc autem est, ut puto, quod post tot tantasque ab illo de Germanis reportatas victorias, quae in ipsum haud dubie redundabant Imperatorem, tam Imperator, quam Livia, & Antonia lauro coronati sunt: huic sententiae favet mater Antonia,

INDICULUS TABULAE II. SAECULI I.

tonia, filium post reditum complectens; alii, praeter Tristanum, cui ego assentior, volunt heic Germanicum ad expeditionem Orientalem se comparantem Imperatoris jussa capessere. Pone Germanicum, est Agrippina uxor illius sedens, quae volumen manibus tenet. Ante Agrippinam, est Cajus Caligula puerulus filius ejus, lorica, clypeoque armatus, atque chlamydula opertus. Is supra armorum acervum consistit, quare significantur victoriae nuper a patre in Germania reportatae. Germanicus, & Caligula genus calceorum gestant, quod nec caligam, nec campagum vulgarem dixerim; sed est genus ocrearum, quo utebantur praecipue in frigidis regionibus, inque limoso solo, quodque alibi in monumentis occurrit. Trajanus in bello Dacico, in Columna, quae dicitur Trajana, expresso, his non dissimiles ocreas aliquando gestat. In alio latere conspicitur Armenus captivus sedens, Armeniam a Tiberio in potestatem populi Romani redactam repraesentans: temo huic vicinus, Regionem esse transmarinam denotat. Quod spectat autem virum armatum e vicino stantem, qui superiorem Caelestemque Coetum respicit, & iis, quae ibi gerebantur, intentus manum ad Aeneam tendit, alteraque manu tropaeum tenet: is forte supernae divinaeque turmae ostentat tropaea ab Augusto, dum viveret, ere-

erecta. Putavit Tristanus, esse Numerium Atticum Senatorem, qui Praetor fuerat, quique affirmavit, juravitque, vidisse se Augustum in Caelum sublatum, istiusque testimonii causa munera a Livia accepit. Verum haec sententia non sine causa ab aliis omnibus exploditur, qui existimant, esse Drusum Tiberii filium, cui opinioni libenter adstipuler. Tropaeum, inquiunt, est in signum victoriae, quam ipse retulit, neque huic sententiae refragabor, dum probetur, Drusum Tiberii filium jam victorias retulisse, cum ab expeditione Germanica reversus est Germanicus: nam omnino adducor ut credam, hunc Achatem tunc insculptum fuisse, cum Germanicus ab illa expeditione rediit. Mulier sedens in sella sphingibus ornata, est, ut puto, Livilla soror Germanici, uxor Drusi Tiberii filii. Existimavit Tristanus, esse Juliam Tiberii uxorem: sed, cum illa jamdiu expulsa fuisset, imo defuncta esset diu, antequam ex Germania rediret Germanicus, non potest in hoc anaglypho comparere. Tertius & infimus figurarum ordo prominente quodam margine a superiore ordine separatur, continetque captivorum, domitarumque Gentium imagines. Putat Rubenius, captivos esse Germanos in triumphum adductos a Germanico, quorum nomina refert Strabo, ii erant: nempe Segimundus Se-

INDICULUS TABULAE II. SAECULI I.

gestis filius Cheruscorum Dux, Segimundique soror Thusnelda uxor Arminii, cum filio Thumelico trienni, qui cum matre, inquit, in hoc lapide repraesentatur. Alii sunt Sesithiacus Segimeri Cheruscorum Ducis filius, ejusque uxor Rhamis Veromeri Cattorum Ducis filia, Deudorix Sicamber Betoritis filius, Libys Cattorum Sacerdos. At Jacobus Le Roi captivos hosce, non esse Germanos existimat; nec arma, inquit, nec Vestes Germanorum heic agnosco: opinatur autem esse Armenos, & Parthos a Tiberio devictos: nam verisimilius est, pergit ille, heic annotari victorias Principis, qui praecipuus in anaglypho spectatur, nempe Tiberii. Atqui, quod maximum gessit in vita Tiberius, illud est, de quo Suetonius sic verba facit: Ducto ad Orienetm exercitu, Regnum Armeniae Tigrani restituit, ac pro tribunali diadema imposuit. Recepit & signa, quae Marco Crasso ademerant Parthi. *Verum quidem est, ut ait Jacobus Le Roi, heic vix agnosci Germanos; non quod vestis aliena sit, ut ille putat, sed quod scuta, peltas potius referant, quam scuta Germanica, uno tamen excepto, quod ovatae formae est. Scuta porro Germanica, aut ovata, aut hexagona erant. At longe minus heic Armenos, & Parthos agnosco, quam Germanos; in cujus rei testimonium affero*

fero Armenum heic prope Liviam sedentem; itemque imagines, quas in Nummis, in aliisque monumentis conspicimus: quantum autem ad Germanos, in eorum vestibus & armis magna inerat varietas. Plurimi seminudi erant, ut tres, quatuorve, quos heic cernimus. Permulti item nudo capite incedebant: hujusmodi item tres, quatuorve heic conspicimus. Heic pharetram videmus, indeque arguit Jacobus Le Roi Armenos esse. At Germani quoque sagittis atque pharetra procul dubio utebantur. Quod autem, addit ille, nempe in hoc monumento Principis atque Imperatoris victorias repraesentari debuisse; illud, inquam, nullius momenti est; quandoquidem de victoria praesenti agitur: nam Caligula adhuc puerulus supra armorum acervum consistit, quae victoriae nota ad patris sui in Germania victorias haud dubie respicit. Una igitur scutorum forma aliquid negotii facessit: scutum unum tantum ovatum est; alia vero peltarum more lunarem in formam recisa sunt. Verum, cum in armis Germanorum varietatem magnam deprehenderimus, haec hujus generis esse potuit, quam nonnisi hoc in monumento expressam videmus, quia in aliis non sese obtulit occasio. Quibus omnibus perpensis, mallem hos captivos, Germanos esse, dicere, quam Armenos, aut Parthos, etsi nihil affirmare ausim.

37. Num-

INDICULUS TABULAE II. SAECULI I.

37. Nummus Augusti, cum Epigraphe DIVO AVGVSTO. Dio Cassius lib. 56. agit de ejus Consecratione pag. 598. Vide Claudium Nicasium in Dissertatione ad Nummum Pantheum Hadriani Imperatoris, edita Lugdun. an. 1689, ubi erudite scribit de adulatione Populorum, vivos ac superstites etiamnum Imperatores Diis adscribentium: & Johannem Burch. Menkenium, qui Consecrationem Augustorum, Augustarumque, usque ad Placidum, & Valentinianum, ex Nummis illustrat, *Lipsiae* 1694. in 4. In Museo Theupolo Tom. I. pag. 384. & 388. extat Nummus, cum capite Augusti radiato, & cum Inscriptione, DIVVS AVGVSTVS. Item in Museo Muselliano Tom. I. Tab. VI. num. 4. addito S. C.

38. Nummus Augusti, cum Epigraphe ASIA RECEPTA. Mystica Bacchi cista, cui insistit Victoria expansis alis, dextra coronam gerens, sinistra palmam. Hinc inde duo serpentes in spiras erecti. Vide Museum Arsch. Tab. X. num. 12, Erizzo p. 112, Gessnerum Tab. 14. num. 35, Goltzium Tom. II. Tab. 40. num. 5., Mediobarbum pag. 26, Theupolum Tom. I. pag. 117, & Museum Musellianum Tomo I. Tab. 3. num. 9. Petrus Bellorius in *Adnotationibus in XII. priorum Caesarum Numismata* pag. 10. num. 1. haec habet: „ Qui hunc Num-

Nummum interpretati sunt, angues Asiae typum esse affirmant. Huic opinioni assentiri non possum, cum angues ipsi ad Dionysiaca pertineant. Extat enim in ipsorum medio non ara, sed mystica Bacchi cista, super qua Victoria. Confirmant duo M. Antonii Triumviri Nummi cum hederacea corona, & Antonii capite, eosdem angues in postica, & cistam referentes, quos videas apud Ursinum in Antonia. Duo insuper alii a Laodicensibus in honorem Proconsulum Appii Pulchri, & M. Tullii Ciceronis cusi cum eodem typo, quos summa eruditione Seguinus in Selectis suis largitus est, Graecis, ac Latinis literis insignes. Multa habet de ambobus, ac praecipue de Tulliano, tanquam de illustri monumento Proconsulatus Ciliciae, quo Cicero ipse Imperator fuit appellatus. Nummos ipsos heic transcribimus, quod Graecis, & Latinis literis inscripti sunt. AP. AP.F. PVLCHER. PRO.COS. ΛΑΟ. ΑΠΟΛΛΩΝΙΟΣ. ΔΑΜΟΚΡΑΤΟΥ. ΖΩΣΙΜΟΣ. *Appius Appii filius Pulcher Proconsul. Apollonius Democriti, Zosimus Laodicensium* Praetor. M. TVLL. IMP. ΛΑΟ. ΛΑΒΑΣ. ΠΥΡΡΟΥ. *Marcus Tullius Imperator Labas Pyrri Laodicensium*. Sic interpretatur Seguinus literas tres ΛΑΟ, *Laodicensium*, in ambobus signatas. Uterque ab hoc latere eosdem angues

INDICULUS TABULAE II SAECULI I.

angues refert ſpiris erectos, quibus addita eſt Pharetra, Arcus, & Caduceum; ab alio latere corona ex foliis, & baccis hederae, in cujus medio ciſta, ex qua proſilit anguis. In M. Antonii Nummis. M. ANTONIVS. IMP. COS. DESIG. ITER. ET. TER. Eadem corona, cum hederae foliis, & baccis; in medio Antonii Caput: in poſtica, iidem angues ſpiris erecti ciſtam amplectentes, ſuper qua Mulieris caput, forte Cleopatrae, cum Epigraphe IIIVIR. R.P.C. In alio Nummo M.ANTONIVS.IMP. COS. DESIG. ITER. ET. TER. M. Antonii, & Cleopatrae capita ſuperimpoſita. In poſtica angues, & ciſta, ſuper qua figura ſtolata, cum haſta, & eadem Epigraphe. Haec ſane Antonio conveniunt, qui Liberi Patris cultu, Dionyſius, & Oſiris haberi & dici voluit. Nummi ipſi non ſolum meae ſententiae favent, ſed clare indicant, omnes Laodiceae fuiſſe cuſos; cum praeferant eadem Bacchi myſtica, hederam, ciſtam, & anguium Salutares Genios. Praeferunt etiam Romana nomina Latinis literis inſcripta, abſque ullo Aſiae titulo adjecto; & Seguinus evidenter probat, fuiſſe Laodiceae cudendae Monetae officinam, quae Urbs Phrygiarum, maxima Aſiaticarum Provinciarum, ſeu Dioceſeon, Proconſularium Roma advenienti prima occurrebat Appio, & Ciceroni Proconſulidus

sulibus Ciliciae: Antonio Asia universa obtigerat in divisione Triumviratus, quo devicto, cusus fuit hic noster Nummus Laodiceae in honorem Augusti, cum ipse potitus est Asia. Hinc Victoriae Simulacrum super cista, ac titulus, ASIA. RECEPTA. Nec ambigi potest de Laodicea, cum in aliis, ac praecipue Juliae Domnae Nummis in eadem Urbe percussis Panthera, & Canis appicti sint, Bacchi, & Dianae tutelarium, qui, & iidem in superius descriptis Laodicensium Nummis expressi sunt. Erizzus, Pierius, aliique plurimas impenderunt paginas ad probandum ex titulo ASIAE, Serpentes Asiae typum esse, ASIA. DEVICTA. Qui titulus legitur tantummodo in Nummo Augusti, minime vero in aliis, quos descripsimus: sed illi deteriora opinati, duobus anguibus tertium addidere ad designandas tres Orbis regiones, Africam, Asiam, Europam, sibi ipsis, & Inscriptioni, in qua Asia tantum legitur, contradicentes. Orus Apollo, quem Auctores promunt, per Angues, Reges, non regna significari docet,,. *Huc usque Bellorius.*

39. Nummus Augusti, cum Epigraphe CAESAR AVGVSTVS. Duo rami lauri. Laurus frequens in Augusti Nummis, Augustae Domui fausta semper habita, & felix, ut scribit Plinius lib. 16. cap. 30. Vide Bellorium in

 Ad-

Adnotat. in XII. priorum Caes. Numism. pag. 21. num. 55, Vaillantium *Numism. Imp. Rom.* Tom. II. pag. 28, Museum Arschotanum Tab. XV. num. 19, Erizzo pag. 124, Gesnerum Tab. 15. num. 17, Goltzium Tom. II. Tab. LVIII. num. 20, Mediobarbum pag. 29, Theupolum Tom. I. p. 118, & Musellium Parte I. Tab. IV. num. 7. Percussus fuit hic Nummus in memoriam duarum Victoriarum an. U. C. 742. relatarum a Tiberio, & Druso. Tiberius namque Dalmatas, ac Pannonas; & Drusus frater ejus Frisios subegit, ex Dione, & Paterculo. Vide Franciscum Blanchinum Patruum meum Tom. II. Anastasii Bibliothecarii in Chronico ad eundem annum, pag. CLXIII.

40. Nummus Augusti, cum Epigraphe IMP. CAESAR. DIVI. F. Clypeus votivus. Erizus pateram authumat Augusto dicatam, tempore quo ipse Pontificatum Maximum assumpsit. Sed ipse fuit Pontifex Max. inauguratus anno Urbis Conditae 740. mortuo Lepido; cum AVGVSTVS, non Caesar tantum, cognominaretur, ut scite observat Petrus Bellorius *in Adnotationibus in XII. priorum Caesarum Numismata* num. 13. p. 13. Vide etiam Norisium in Dissert. III. de Epochis Syromacedonum Tom. II. col. 270. Edit. Veron. lit. C.

41. Nummus Augusti, cum Epigraphe CAE-

CAESAR DIVI F. Victoria insistens Globo, dextra coronam, sinistra palmam gerens. Scribit de Augusto Dio lib. 51. *Tum Curiam Juliam in honorem patris sui factam dedicavit, in eaque imaginem Victoriae posuit, quae hodie quoque exstat, Tarento olim Romam advecta, & a Caesare tum in Curia posita, & spoliis Aegyptiacis decorata: ex quo Caesar nimirum ostendebat, IMPERIVM SE EX VICTORIA ESSE ADEPTVM*. Cusum putat hunc Nummum in Africa Petrus Bellorius *in Adnot. in XII. priorum Caesarum Num.* pag. 14. num. 20. Extat apud Gesnerum Tab. 13. num. 23, Mediobarbum pag. 22, Theupolum Tom. I. p. 118, & Musellium Tom. III. pag. 46. num. 9.

42. Nummus Augusti, cum Epigraphe DEO AVGVSTO. Statua Augusti sedens, dextra Victoriam Globo impositam, laeva hastam puram tenet. Figura illa, inquit Vaillant. *de Colon.* Tom. 1. pag. 66., sedens, statua est Augusti in Templo, in postica hujus Nummi expresso, Aeternitati ejus consecrato a Tarraconensibus posita, cui insolentem & vesanam *Dei*, pro *Divi*, appellationem, Graecorum adulantium, potius quam Romanorum exemplum sequuti, inscripserunt. Servius inter Deos, & Divos ita distinguit; ut Dii dicantur aeterni, Divi autem, qui ex hominibus fiunt:

qua ratione Templum & Julii, & Augusti Romae apud Dionem Ἡρῷον dictum est. Prioris meminit lib. 54. pag. 546. *Et Octaviam Sororem vita functam in Sacrario Julio publice exposuit.* De altero sic loquitur lib. 59. pag. 600. *Decretum quoque Romae Augusto Sacrarium a Senatu, a Livia autem & Tiberio factum.* Ἡρῷον autem vere erat Fanum Heroi constructum, unde *Divi* titulo illi Romanorum Imperatores post mortem decorati sunt, a quibus in vita insignia profecta essent in Rempublicam merita: quamquam postea, crescente in dies adulatione, plerique ne vivi quidem id honoris aspernati sunt; imo *Dei* appellationem ambierunt, ut de Domitiano tradit Eutropius lib. 7. *Dominum se, & Deum primus appellari jussit: sed nec Divus post mortem appellari meruit.* Dio lib. 51. narrat, Augustum Asiaticis permisisse, ut sibi Templum Pergami, ac Nicomediae exstruerent: *Nam*, inquit, *Romae, & in Italia nemo umquam alicujus pretii homo id facere ausus est; quamquam defunctis Imperatoribus, qui Imperio recte usi sint, cum alii Divini honores dantur, tum Sacraria tribuuntur.* Aliter tamen Sextus Aurelius Victor de eodem Principe scribit: *Hincque, uti Deo*, inquiens, *Romae, Provinciisque omnibus per Urbes celeberrimas, vivo, mortuoque Templa,* Sa-

Sacerdotes, & Collegia sacravere. Suetonio tamen plenam fidem habeo, qui cap. 52. ait: *In Urbe quidem pertinacissime abstinuit hoc honore*; subindicans in aliis Italiae Urbibus haud vetasse, ne Divinus sibi Cultus deferretur. Dionem certe redarguit Pisanus lapis, in quo T. Statulenus Juncus Flamen Augustalis Pisis fuisse dicitur, itemque Augusteum, scilicet Aedes sacrata Augusto, in quam colonici Decuriones publice deliberaturi conveniebant. Tacitus lib. 1. Annal. cetera inter, quae mortuo statim Augusto vitio dabantur, hoc refert: *Nihil Deorum honoribus relictum, cum se Templis, & effigie Numinum per Flamines & Sacerdotes coli vellet*. Unus tantum Flamen Augusti adhuc superstitis a Pisano marmore exhibetur, eoque Taciti dictum mirifice illustratur. Et quidem Poetae, quibus cuncta pro arbitrio fingere licuit, non semel Augustum Dei nomine appellabant. Manilius lib. 1. Astronomicon sub initium ait:

Hunc mihi tu, Caesar, Patriae Princepsque, Paterque,
Qui regis Augustis parentem legibus Orbem,
Concessumque patri Mundum Deus ipse mereris.

Pedo Albinovanus in Elegia de Consolatione ad Liviam Augusti uxorem, Drusum extinctum ita fantem inducit:

De-

INDICULUS TABULAE II. SAECULI I.

Denique laudari sacrato Caesaris ore
Et merui, lacrymas elicuique Deo.

Cui similia antea cecinerat Propertius lib. 4. Eleg. ult. de Augusto itidem loquens:

Ille sua gnata dignam vixisse sororem
Increpat, & lacrymas vidimus ire Deo.

Horatius lib. 2. Epist. 1. ad Augustum:

Praesenti tibi maturos largimur honores,
Jurandasque tuum per nomen ponimus aras.

Ovidius lib. 1. Trist. Eleg. 3. Deos, ut sibi Augustum placatum redderent, precatus, ait:

Caelestique viro, quis me deceperit error,
Dicite; pro culpa ne scelus esse putet.
Ut quae sentitis, poenae quoque sentiat auctor;
Placato possim non minor esse Deo.

Et lib. 2. Eleg. ad Augustum:

Per Mare, per Terras, per tertia Numina juro,
Per te praesentem conspicuumque Deum.

Et lib. IV. Tristium Elegia IV. cum Jovem, & Augustum nominasset, ait:

Causa tua exemplo Superorum tuta duorum est:
Quorum hic aspicitur, creditur ille Deus.

Augustus adulanti Poetae erat Deus ἐπιφανής, idest *praesens* ac *conspicuus*, qualis eidem non erat Juppiter, qui non cernebatur, sed vulgo tantum credebatur Deus. Cum Caesar Octavianus Julio patri divinos honores decrevisset, An-

Antonius, inquit Plutarchus, *in gratiam Caesaris* Octaviani, *prioris Caesaris Sacerdos factus est*. Ex his patet, ut scribit Emin. Card. Norisius in Cenotaphiis Pisanis Differt.I.cap.4. pag. 81. Edit. Veron., Augustum primum inter Principes Romanos, cum adhuc in vivis esset, suomet nomini tanquam Numini consecratos Flamines habuisse. Antonius enim Flamen Julii Caesaris adhuc superstitis designatus, non fuit inauguratus, seu ut vulgo dicitur, consecratus: illo vero mortuo, *Flaminium reliquit*, teste Tullio; quamvis postea ejusdem Sacerdos in gratiam Augusti creatus fuerit, si vera narrat Plutarchus. Cum Augustus anno U.C. 718. Sex. Pompejum Maritimis ac Terrestribus copiis exutum ex Sicilia fugasset, ac Lepidum in Triumviratu hactenus collegam, a militibus desertum, in ordinem redegisset; summis & humano fastigio majoribus honorum titulis ab Italiae Oppidis exceptus fuit; quod sublatis bellis civilibus, quae Italiam tot annos infandis calamitatibus ac miserandis cladibus oppresserant, pacem ejusdem Provinciis intulisset. Hinc teste Appiano lib. 5. Bel. Civ. pag. 746. *oppidatim inter Deos tutelares consecratus est*. Haec prima divini cultus Augusto delati mentio in Historiis occurrit. Cum vero, superato Antonio, Romanum Orbem occupasset,

INDICULUS TABULAE II. SAECULI I.

ſet; Aſiatici Templa eidem uti Deo dicarunt apud Pergamum, Ancyram, aliiſque in Urbibus; quamvis ille ad declinandam invidiam, petentibus Urbium Legatis, ut ipſis Templa Auguſto conſecrare permitteret, ſub Romae & Auguſti nomine eadem dicari voluerit ex Tacito lib. 4. Annal. atque ex Grutero pag. 105.

ROMAE . ET . AVGVSTO
CAESARI . DIVI . F.
COLON. AVXVRN
A. AEMILIVS . EX . PECVNIA
SVA . F.

In vetuſtis iiſdem Inſcriptionibus non ſemel legitur: *Sacerdos Romae, & Auguſti*. Philo de Legatione ad Cajum, ait: *Totus Orbis Caeleſtes Auguſto honores decrevit, templa, fana, lucos, porticus, ut his nulla pulcriora viſantur in Urbibus, vel vetera, vel nova*. Addit autem, Auguſtum accepiſſe hujuſmodi honores a coecis aſſentatoribus, *non quod probaret, ſed quia videbatur hoc poſtulare amplitudo Imperii, cui veneratio quaedam his artibus parabatur: ipſum vero nunquam inflatum talibus obſequiis hinc certo colligitur, quod nunquam ſuſtinuit ſe appellari Deum, vel Dominum, averſatus hanc adulationem*. Suetonius cap. 2. de vita Claudii, ſcribit, ipſum natum Kalendis Auguſt

sti Lugduni, *eo ipso die, quo primum ara ibi Augusto dedicata est*, anno Urbis 744. Apud Gruterum pag.229. recitantur sacrificia statis anni diebus *Numini Augusto* facienda Narbone ex Plebiscito colonico, in cujus titulo legitur :

NVMINI . AVGVSTI . VOTVM
SVSCEPTVM . A. PLEBE . NARBO
NENSIVM . IN . PERPETVOM

Haec ara Augusto dicata fuit X. Kal. Octobris T. Statilio Tauro, L. Cassio Longino Consulibus anno Urbis Cond. 764. Et tamen omnes illorum temporum Scriptores tradunt, adeo superbos titulos abhorruisse, ut ne privatim quidem a Cajo, vel Lucio se *Dominum* appellari pateretur. Cum a mimo, se praesente, de quopiam altero dictum fuisset, *O Dominum* aequum & bonum! & universi, quasi de Augusto dictum, cum plausu excepissent, manu ac vultu adulantum voces compressit, *& insequenti die gravissimo corripuit Edicto, Dominumque se posthac appellari, ne a liberis quidem, aut nepotibus suis, vel serio, vel joco passus est*. ita Suetonius cap.53. Vide laudatum Norisium *Cenotaph. Pisan.* Dissert. 2. cap. 13. Tom. 3. columna 397. & nostrum *Chronicum* ad annum Aerae Vulgaris 87. Hic Nummus, de quo tam multa descripsimus ex Norisio, extat apud Ant.

INDICULUS TABULAE II. SAECULI I.

Auguftinum *Dial.* 7. & Petrum Bellorium *in Adnotationibus* pag.9.num.37.

43. Nummus Augufto percuffus. In antica, ejus Caput, cum Epigraphe DIVVS AVGVSTVS. In poftica vero parte, figura armata ftans, & manum extendens: hinc Felicitas fedens, cùm Cornucopia; inde Heros, cum Globo, & Hafta; infra Tellus, ac Neptunus. Hoc magnificum emblema, inquit Joannes Petrus Bellorius *in Adnotationibus in XII.priorum Caefarum Numifmata* pag. 9. num. 30. *pertinere videtur ad Auguftum; fed divinent peritiores. Nummus eft contornatus.* Extat apud Aeneam Vicum Parmenfem elegantiffime excalptus. Ego in ea fum fententia, ut Auguftum exhibeat publica religione inter Deos relatum. Vide Dionem Caffium lib.56.pag.598. (ubi de ejus Confecratione), & diligentius ex eodem Dione Xiphilinum in Severo, ubi de Confecratione Pertinacis pag.868., diligentiffime vero Herodianum lib. 54. pag. 333. & feqq. Confer e recentioribus Joannem Kirchmannum *de Funer. Roman. L. IV.* cap. 13. & feqq.; Onuphrium Panvinium *in Faftis* ad annum U.C.964.,ubi texit Catalogum Confecratorum; Jacobum Gutherum *de jure Manium*, & *de veteri jure Pontificio*; Voffium L. 1. *de Idolol.* cap.12; Jul. Caef. Bulengerum *de Imper.*

per. Rom. L. 1. cap. 6. 7; & ex SS. Patribus Nazianzenum *in Invectiva* 1. *in Julianum* pag. 83. Vide etiam quae de Apotheosi Romuli Livius L. 1. & Dionysius Halicarnasseus lib. 2. memorant, & quae de Consecratione Proconsulum, magnorumque Ducum in Provinciis tempore liberaeReipublicaeMongaldus in singulari Dissertatione, qua illum politicum primum, mox religiosum cultum ad Imperatores Romanos translatum observat, in Memoriis Literariis Trevoltinis anno 1709 Augusto mense, pag. 1409. & seq. Confer easdem memorias anno 1706. pag. 1611. Immodicae adulationis licentia tanta sane jam incrementa coeperat apud Romanos, ut adhuc viventibus Imperatoribus Templa statuerentur, & Augustea, flaminesque, ac sodales consecrarentur. Vide quae diximus supra ex Noris. in *Cenot. Pisan.* & Catalogum Imperatorum, & Augustarum consecratarum, quem e veteribus Monumentis, & Nummis dat Civis meus Onuphr. Panvin. lib. de Civitate Rom. cap. 28. Tom. 1. Graev. p. 224.

44. COL. A. A. PATRENS. *Colonia Augusta Aroe Patrensis*, Urbs Achajae illustris. Visitur in typo Colonus agens boves, & sinistra vexillum ferens. Vaillantius *de Colon.* Tom. 1. pag. 313. „ Patrenses, *inquit*, ad originem Coloniae indicandam, modo Colonum,

INDICULUS TABULAE II SAECULI I.

modoSigna militaria in Nummis percusserunt: imo in hoc illa conjungunt; Colonus enim sinistra Signum militare, dextra aratrum ducit; illud Coloniae Militaris, hoc Plebejae symbolum. Veteranos Legionis vigesimae secundae, cognomine *Primigeniae*, Patras transmissos, ex Nummis accepimus. Pausanias vero, multitudine ex oppidulis vicinis ab Augusto in hanc Urbem remigrare jussa, eandem ab eo Coloniam constitutam tradit in Achaicis pag. 432. *Atque alia in eam Civitatem beneficia contulit, quibus a se deductas Colonias Romani afficere consueverunt*. Haec autem ex septem Pagis frequentata est, teste Strabone „. Vide Bellorium pag. 9. num. 32., Gesnerum Tab. 26. num. 17., Patinum pag. 29., Seguinum in suis Selectis, & Museum Musellianum Tom. 1. Tab. VIII. num. 9. ac Tom. 3. pag. 52.

45. AEGYPTO CAPTA. Crocodilus Aegypti typus. Aegyptii an. Urbis Conditae 724. in Augusti potestatem venerunt: qui Mense Sextili ejusdem anni tres Curules Triumphos egit; Dalmaticum, Actiacum, atque Aegyptiacum, continuo triduo omnes, ut narrant Livius lib. 133. & Suetonius in Octavio cap. 22., de quibus Virgilius in VIII. Aeneidos, & Propertius lib. 2. Eleg. 1.

Aut canerem Aegyptum, & Nilum; cum tractus in Urbem, Se-

Septem captivis debilis ibat aquis &c.
Mense vero Sextili, ut diximus, Caesarem hos Triumphos egisse, docent Senatus Consulti verba apud Macrobium lib.1. Saturnalium cap.12., non *octavo Idus Januarias*, quo in Asia fuisse constat, ut voluit Orosius lib.6.c.20. Prima die de Pannoniis, Dalmatis, Lapydis, finitimisque eorum, & nonnullis Galliae ac Germaniae Populis secunda, de Actiaca navali Victoria; tertia denique die, DE SVBACTA AEGYPTO. Hic Triumphus reliquorum sumtuosissimus fuit, & ornatissimus apparatu, ut videre licet apud Dionem lib. 51. pag. 459. Hic Epocham init annorum ab inito apud ipsos illius Imperio institutam, ut tradit Censorinus cap. 21. *de die Natali*, ubi agens de variarum Gentium Epochis cum anno Urbis 991. concurrentibus, ait: *sed Aegyptii, quod biennio ante* (in Consulatu videlicet Augusti VII. & M. Agrippae III.) *in potestatem ditionemque Populi Romani venerunt, habent hunc Augustorum annum* 267. Hic Nummus, quem illustramus, percussus in memoriam Aegypti subactae, exstat apud Bellorium *in Adnotationibus in XII. priorum Caesarum Numismata* pag. 19. num. 41., Vaillantium *Numism. Imp. Rom.* Tom.2. pag. 15, & Theupolum *in Museo Antiq. Numism.* Tom. 1. pag. 120.

46. CAE-

INDICULUS TABULAE II. SAECULI I.

46. CAESARI AVGVSTO. In antica Nummi parte extat Triumphus Augusti de Armenia iterum recepta A.U.752. Vide *Chron.* ad ann.2. ante Aeram Chr. Vulg. pag.13. in postica vero S.P.Q.R. PARENTI. CON. SVO, & laurea toga picta, seu Triumphalis. Aquila, signum Legionis. Suetonius, *Patris Patriae cognomen universi repentino maximoque consensu detulerunt: ei prima plebs legatione Antium missa, deinde, quod non recipiebat, ineunti Romae spectacula, frequens & laureata, mox in Curia Senatus neque decreto, neque acclamatione, sed per Valerium Messalam, id mandantibus cunctis, quod bonum* (inquit) *faustumque sit tibi, Domuique tuae, Caesar Auguste, (sic enim nos perpetuam felicitatem Reipublicae, & laeta huic precari aestimamus) Senatus te, consentiens cum Populo Romano, consalutat Patriae Patrem*. Horatius lib. 1. Od. 2.

Heic ames dici Pater, atque Princeps
......qui contulit & tibi, & Urbi.

Signum militare ab Armenis receptum opinor. De laurea ac triumphali toga Dio lib.1.cap.16. *Dataque potestas Kal. Jan. singulis coronae & vestis triumphalis gerendae, a quo mos emanavit non triumphantibus modo, sed & Coss. Kal. Jan. in toga picta fuisse*. Haec opere Phrygio acu elaborata, figuras seu palmas exhibebat, unde

de etiam palmata. Toga picta dicta fuit etiam Jovis tunica, & Capitolina, quia e Capitolio triumphantes eam sumebant. Livius lib. 53. *Qui Jovis O. M. ornatu decoratus, curru aureato per Urbem vectus, in Capitolium ascenderit*: cui adstipulantur illa Suetonii de Augusto *in Patris Octavii somnium*: *videre visus est filium mortali specie ampliorem, exuviisque Jovis Optimi Maximi, ac radiata corona superlaureatum, currum bis senis equis candore eximio trahentibus*. Riquius *in suo Capitolio* pag. 244. hunc Nummum protulit, togamque pictam ab Olympiaco pallio desumptam asserit; quod non convenit cum Plinio (lib. 8. cap. 48.), *qui pictas vestes jam apud Homerum fuisse*, ait; *unde triumphales*. Haec ex Joanne Petro Bellorio *in Adnotationibus in XII. priorum Caesarum Numismata*, ubi de argenteis, pag. 20. num. 46. & pag. 23. num. 82. Vide Museum Theupoli pag. 124. & 125. Porro anno Urbis Conditae 751. (ut in nostro *Chronico* ad annum 3. ante Aeram Christi Vulg. pag. 12.) Augustus Nonis Februariis PARENS Patriae dictus fuit, ut ostendit Praenestina Inscriptio apud Gruterum p. 136., quam illustravit Noris, post Suarezium lib. 1. *Antiquitatum Praenestinarum* cap. 18. Est fragmentum veteris Kalendarii, in quo haec leguntur:

NON.

INDICULUS TABULAE II. SAECULI I.

NON. N. CONCORDIAE
IN. ARCE. FERIAE
S. C. QVOD. EO. DIE
IMPERATOR. CAESAR
AVGVSTVS. PONTIFEX
MAXIMVS. TRIB. POTEST.
XXI. COS. XIII. A. SENATV
POPVLOQVE. ROMANO. PATER
PATRIAE. APPELLATVS.

Ne quid tamen dissimulem cum eodem Norisio, ex Praenestina Inscriptione fateor annum decreti Augusto tituli P. P. non adeo certo deduci, quin reponi possit, eundem inscribi Trib. Pot. XXI. ac Cos. XIII., non quod eo anno 751. appellatus fuerit P. P., sed quod eo anno a Praenestinis decretum emissum fuerit, ut dies Nonarum Februarii interFeriatos referretur ob delatum eo die titulum P. P. Imperatori Caesari Augusto. Ceterum nemo ignorat, Colonias, ac Municipia, insignia decreto deltos a S. P. Q. R. Augusto honores, statim, ut ita dicam, auxisse. Legitur & altera Inscriptio apud Gruterum pag. 199.3. Praenestino Kalendario similis:

IMP. CAES. AVG.
PONT. MAX. TRIB.
POT. XXI. COS. XIII.

PAT.

P A T. P A T R.
T E R M. A V G. I N T E R
L A N C. O P P. E T
* I G A R D I T. * *icaedit.*

Hoc anno U.751. die 12. Maji Auguſtus Templum Martis Ultoris dedicavit, (vide *Chron.* ad eundem ann.3.ante Aer.Chr.Com.p.12.) quod diu antea Auguſtus bello Civili adverſus Caeſaris interfectores voverat, nempe anno U.712; ſed rebus proſpere ſuccedentibus, voti oblitus, anno demum 734.idem Templum extrui juſſit, ut in eodem recepta a Parthis Romana ſigna ſuſpenderet, ex Dione lib. 54. Ovidius lib. 5. Faſtorum ad IV. Idus Maji hoc votum in acie Philippenſi Auguſto nuncupatum ſcribit:

Si mihi bellandi Pater eſt, Veſtaeque Sacerdos
Auctor, & ulciſci nomen utrumque paro:
Mars ades, & ſatia ſcelerato ſanguine ferrum;
Stetque favor cauſa pro meliore tuus.
Templa feres, & me victore vocaberis ultor.
Voverat, & fuſo laetus ab hoſte redit.

Deinde, cum narraſſet, Parthos bello tantum de proximo ab Auguſto oſtentato, immo ſolius Auguſti nominis terrore perculſos, raptas Craſſo Aquilas ad eundem remiſiſſe ait:

Rite Deo, templumque datum, nomenque Bis-ultor,
Emeritus voti debita ſolvit honor.

Mmmm So-

Solemnes ludos Circi celebrate, Quirites;
Non visa est fortem scena decere Deum.

Nummos Augusti cum effigie templi inscriptos MARTIS VLTORIS, exhibet doctissimus Patinus ad cap. 29. Suetonii: & in fragmento Ancyrano legitur, VLTORIS TEMPLVM; quod sane templum anno U. C. 751. dedicatum fuisse auctor est Vellejus lib. 2. *At in Urbe*, inquiens, *eo ipso anno, quo magnificentissimi Gladiatorii muneris, Naumachiaeque spectaculis, Divus Augustus, abhinc annos XXX. se, & Gallo Caninio Coss. dedicato Martis templo, animos oculosque P. R. repleverat, foeda dictu, memoriaque horrenda in ipsius domo tempestas erupit*. Scripsit Vellejus Vinicio Consule, cui Libros dicavit, a cujus Consulatus exordio, ad exitum an. U. 751. triginta anni numerantur.

47. Inscriptio Juliae, Augusti & Scriboniae Filiae, quae nupsit prius C. Marcello, inde M. Agrippae, ac tandem Tiberio. Extare dicitur Aquilae in Ecclesia S. Pauli ad usum Sacri laticis; eamque edidit Muratorius e schedis Ambrosianis Tom. 1. *Nov. Thesaur. Vet. Inscript.* pag. 222. num. 2. Mendis tamen scatet immanibus detruncatus hic lapis, in quo etiam Augustae Dignitas ejus nomini est antelata. Legendum in eo non DRVSI F., sed DIVI F.; & forte est pars Inscriptionis, quam inte-

tegram, itemque mendosam, ibidem edidit num.4. laudatus Cl. Vir e schedis Farnesianis, repertam, ut ipse scribit, *Antiquariae in Hispania*, in qua lego,

IVLIAE AVG. DRVSI FILIAE
MATRI. TI. CAESARIS. AVG. PRINCIPIS
ET CONSERVATORIS.ET.DRVSI GERMA
NICI GENI.......IS ORBIS
M. CORNELIVS PROCVLVS
PONTIFEX CAESARVM

Utraque videtur mihi male descripta ex Lapide Gruteriano pag. 234. num. 2. item in Hispaniis invento, qui sic habet:

IVLIAE . AVG.
DIVI . F. MATRI
TI. CAESARIS. AVG. PRIN
CIPIS . ET. CONSERVATORIS
. ET . DRVSI . GERMANICI
M. CORNELIVS . PROCVLVS
PONTIFEX . CAESARVM

48. Nummus Juliae Augusti filiae, cum Epigraphe ΙΟΥΛΙΑΝ ΑΦΡΟΔΙΤΗΝ, *Juliam Venerem*. Caput Juliae. Exstat apud Vaillantium *de Numism. Graec.* pag. 7, & Theupolum Tom. II. *Musei Antiquorum Numis.* pag. 836. Augustus adeo severa Juliam disciplina (ob ejus formam) educaverat, ut ipsi *quicquam lo-*

Mmmm 2 *qui,*

qui,aut agere vetuerit, nisi propalam,& quod in diurnos Commentarios referretur. Extraneorum quidem coetu adeo prohibuit, ut L. Tucinio claro decoroque juveni scripserit quondam, parum modeste fecisse eum, quod filiam suam Bajos salutatum venisset, ut narrat Suetonius cap.64. Augustae tamen Domus honorem,tum Senatorii,tumEquestrisOrdinisViris per summum flagitium prodidit. Tacitus de Sempronio Graccho ait lib. I. *Juliam in matrimonio Agrippae* (cui post Marcellum nupsit) *temeraverat: nec is libidini finis: traditam Tiberio Neroni Augusti privigno, pervicax adulter contumacia & odiis in maritum accendebat*. Cum Augustus certissima adulteriorum filiae indicia accepisset, ira ac timore pudori mixtis agitari coepit, ut refert Seneca cap.5. *de Brevitate Vitae*. Vicit tamen pudorem indignatio,teste laudato Suetonio, qui c.65.ait: *de filia absens,ac libello per Questorem recitato, notam Senatui fecit, abstinuitque congressu hominum diu prae pudore: etiam de necanda deliberavit*. Illam tamen in Pandatariam Insulam deportari jussit, & adulteros partim exilio, partim capitali sententia damnavit. Vide Senecam lib. 6. *de Beneficiis* cap.22., Tacitum lib. 3. *Annalium*, Vellejum lib. 2, & Macrobium lib. 2. *Saturnalium* cap.5.In Nummo RomulensisColoniae, Li-

Liviae Matri seu Juliae percusso, legitur, IVLIA AVGVSTA ORBIS. Multi enim (ut scribit Vaillantius *de Coloniis* Tom. I. pag. 77.) ipsi decreti sunt honores, ut refert Dio lib. 57. pag. 609. *Hinc multa extra consuetudinem Populi Romani introducta, inventique haud pauci, qui Matrem eam Patriae ac Genitricem appellandam censerent*. Nummus Dionem illustrat, imo locupletare videtur; cum hic vocandam illam *Patriae Matrem* censeat, Nummus autem eam *Orbis Genitricem* appellet: ideo Globo est imposita. Luna crescens visitur supra caput, tanquam illa foret Lucina partuum praeses, vel, ut innuit Tristanus, tanquam Venus Genitrix.

49. Inscriptio Marci Agrippae Generis Augusti. Hic ex humili Vipsania Familia natus, Lucii filius dicitur, cum in hoc Lapide, de quo loquimur, tum in Inscriptionibus Aedium amplissimarum, quas, secundum post Augustum Romano in Orbe gradum tenens, Regiis plane impensis extruxit. In fronte Panthei Romani legitur, M. AGRIPPA. L.F. COS. TERTIVM FECIT: & in Fastis Capitolinis, cum aliorum Consulum patres, & avi memorentur, Lucius Agrippae pater solo praenomine expressus apparet, quem Seneca lib. 3. *de Benef.* cap. 32. *ne post Agrippam quidem notum* dicit. Vi-

INDICULUS TABULAE II. SAECULI I.

Vide Card. Norisium *in Cenotaphiis Pisanis* Dissert. II. cap. I., & Vaillantium *de Coloniis* Tom. I. pag. 83. qui hanc Inscriptionem, a Rufranis Colonis M. Agrippae positam, evulgavit ex Holstenio *Annot. in Ital. Ant.*

50. Nummus M. Agrippae, cum Epigraphe M. AGRIPPA. L. F. COS. III. anno videlicet Urbis Conditae 726. quo fuit cusus, & quo Caesar, AVGVSTVS dictus fuit ex sententia Munatii Planci. Vide Censorinum *de die Natali* cap. 21. ex quo eum solum cudendae monetae auro & argento potestatem habuisse putat Vaillantius in Tab. XX. Familiae Juliae. Caput Agrippae corona est redimitum in hoc Nummo; & simillimum est illi, quod in Museo Magni Ducis Hetruriae adservatur, & alteri, quod BENEDICTI XIV. Pont. Max. munere Museum Capitolinum custodit. Nummi Agrippae tam Graeci, quam Latini, valde rari sunt, praesertim maximi moduli, quorum unus exstat in Bibl. Vaticana, ut videre licet in Tab. V. Tomi Primi editi a Viro Cl. Rodulphino Venuto. Tot insignes victorias Agrippa reportavit, teste Dione lib. 54. pag. 528. ut merito Triumphus illi decerni posset: verum a tanto honore semper abhorruit. Quare (ut inquit Doctissimus Praesul Bottarius *in Adnotationibus in Tomum II. Musei Capitolini* pag. 8.) *illi de-*

decreta fuit corona rostrata ex auro, quo honore nemo ante, vel post illum, decoratus fuit ex testimonio laudati *Dionis lib.* 49. *pag.* 400. & *Plinii* Hist. Natur. *lib.* 16. *cap.* 4. *Hoc amplius illi concessum, ut illa corona uteretur, quoties aliquis Triumphator laurea usus fuisset.* Vide Nummum, quem illustramus, apud Angelonium pag. 20, Gesnerum Tab. 31. num. 31., Mediobarbum pag. 55., Morellium *in Fam. Vipsan.* Tab. 1. num. 4., Patinum *de Rom. Fam* p. 298., & *Imp. Rom.* pag. 46., Vaillantium *Numism. Rom. Imp.* Tom. 1. pag. 6., & *de Rom. Fam.* Tab. 148. num. 7., ac Musellium Tom. 1. Tab. X. num. 6.

Indiculus Tabulae II. Saeculi I.

51. Inscriptio Caji Caesaris, de qua numero sequenti.

52. Nummus Caji Caesaris, cujus Consulatus (inquit Card. Norisius *in Cenotaphiis Pisanis* Dissert. 2. cap. 13.) in hoc raro Numismate observatur. Ejus ectypum Vir Cl. Franciscus Biragus Mediolanensis Nummariae Antiquitatis peritissimus, & aucti & illustrati Occonis Editione seris posteris commendandus, ad eundem Norisium transmisit. In hujus Numismatis parte postica visitur caput Augusti sine laurea, cum Epigraphe C. CAESAR. PONT. COS. Cajus fuit Consul anno Urbis Conditae 753. una cum L. Aemilio Paullo. Vide Chronicum

INDICULUS TABULAE II. SAECULI I.

nicum ad annum I. ante Aeram Christi Communem pag. 12. Tacitus auctor est, Augustum in votis habuisse, Cajum, ac Lucium summis Magistratibus exornare, ac praecoci Populi Romani obsequio cultos, certos sibi successores quamprimum maturare. Haec ille ait: *Genitos Agrippa Cajum, ac Lucium in Familiam Caesarum induxerat: necdum posita puerili praetexta, Principes Juventutis appellari, destinare Consules specie recusantis flagrantissime cupiverat.* Cum vero Senatus ac Populus palam Cajo Consulatum peterent, Augustus, rem nec exempli, nec sui Saeculi judicans, Consulatum puero adhuc Praetextato concedi, decrevit, ut post quinquennium a deposita puerili Praetexta Cajus Consulatum iniret, atque interim Consul designatus appellaretur. Vide lapidem Gruterianum p. 228. 5, item Ancyranum apud eundem Grut. p. 231. Ex utroque enim marmore liquet, Cajum annos natum XIV. ac jam *quintum & decimum agentem* anno Urbis Conditae 747 Consulem designatum fuisse, cum eo tamen, ut eum Magistratum iniret post quinquennium, non quidem inchoandum ex eo die, quo Consul designatus fuerat, sed *ex eo die, quo deductus in Forum*, deposita puerili Praetexta, virilem togam sumpsisset: nempe quinquennium inchoandum erat

erat a Kal. Januariis anni Urbis Conditae 748. ad Kal. Jan. anni Urbis Conditae 753. quo die Consulatum inivit, ut Nummi, & lapides antiquitus inscripti luculentissime produnt. Ven. noster Card. Baronius mendoso Dionis Codice deceptus in ea fuit sententia, ut Cajus tantum Consulatum inierit, non vero illud, re bello feliciter gesta, peregerit. Sed Pisanus lapis a Card. Norisio allatus *in Cenotaph. Pisan.* Dissert. II. pag. 388. Edit. Veron. contrarium evincit. „ Panvinius, *inquit*, hoc ipsum evidenter ostenderat ex Inscriptione, quam adducit libro 2. *Fastorum* ad an. U. 754. quae etiam nunc visitur Arimini in Foro, eamque, ut ibidem sculpta est, exhibeo: C. CAESAR. AVGVSTI. F. COS. VIAS. OMNES. ARIMINI. STERN. Idem noster Civis eruditissimus ad an. U. C. 748. & 751. plures Inscriptiones Nummorum, ac Lapidum recitat, in quibus Cajus Caesar CONSVL DESIGNATVS nuncupatur; quas quamvis Baronius legisset, haud scribere dubitavit, *petitum quidem fuisse a Cajo Consulatum, sed ab Augusto negatum*. At ita id temporis Augustus Consulatum negavit, ut illum tamen in annum postea quintum tunc Consulem designaverit. Exstat Inscriptio Lapidis apud Pighium Tom. 3. Annal. ad an. Urbis 753, & Gruterum p. 1075. 2. quae incipit,

Nnnn ... C.

INDICULUS TABULAE II. SAECULI I.

...C. CAESAR. AVG. FIL....
...... PAVLLO . COS.
LARES . AVGVSTOS &c.

53. Inscriptio C. Caesaris, Agrippae & Juliae filii, Consulis designati, & Principis Juventutis. Exstat (ut animadvertit Gruterus p. 234. 4.) in una ex duabus basibus aequalibus e Tiburtino, altis palmos VI., latis IV., coronis suis spoliatis, (repertis Romae anno 1551.) ante Aediculam S. Mariae Aegyptiacae, quam vel hinc constare potest, non Fortis Fortunae, aut Pudicitiae, sed Caji & Lucii filiorum Augusti fuisse. Equester Ordo eum Principem Juventutis appellavit, ut constat ex fragmento Inscriptionis Romanae laudatae a Panvinio lib. 2. *Fastorum* ad an. U. 749. quam ab Emin. Norisio *in Cenot. Pisan.* Differt. 2. cap. 3. sapienter suppletam exhibeo,

PRINCipem . IVVENTVTIS . Appellaverunt
QVEM . COS. POPVLVS . CREAVIT
ANN. NAT. XIIII.
ac SENATVS . ET . POPVLVS . ROMANVS
ob . HONOREM . DOMVS . AVGVSTAE . KALAtis
Comitiis . Pontificem . fecit .

In priori versu (inquit laudatus Norisius Tom. 3. pag. 168. Editionis Veron.), qui deest, Equester Ordo nominabatur; quod patet ex Inscriptione Ancyrana apud Gruterum p. 231. ubi legimus,

.....EQVI-

..... EQVITES. AVTEM. ROMANI. VNIVERSI. PRINCIPEM Cajum HASTIS. ARGENTEIS. DONATVM. APPELLAVERVNT.

Princeps Juventutis, idem erat ac Princeps Equitum. Hoc allatae Inſcriptiones evincunt. Nam, ubi in una dicuntur Equites Romani Cajum appellaſſe *Principem Juventutis*, in altera Ancyrana legitur, *Equites autem Romani universi* PRINCIPEM *Cajum haſtis argenteis donatum appellarunt*. Scilicet Ordo Equeſtris, quo Auguſto blandiretur, Cajum Caeſarem Principem Juventutis, nempe Equitum appellavit; qui titulus tum primum inventus fuit, quo ſecundus ab Auguſto in Romano Orbe Princeps deſignabatur. Ovidius libro I. *de Arte amandi* Cajum Caeſarem alloquens, ait:

Tale rudimentum tanto ſub nomine debes,
Nunc Juvenum Princeps, deinde future ſenum.

Senatus Principis titulum eidem Cajo, utpote futuro Auguſti ſucceſſori, augurabatur, cum jam eſſet Princeps Juventutis, hoc eſt Equitum.

54. Protome Auguſti, ex marmore Capitolino, de qua Suetonius in ejus Vita cap. 79. ait: „ Forma fuit eximia, & per omnes aetatis gradus venuſtiſſima, quamquam & omnis lenocinii negligens, & in capite comendo tam incurioſus, ut raptim compluribus ſimul tonſoribus operam daret, ac modo tonderet, modo raderet barbam &c. Vultu erat, vel in ſermone, vel

INDICULUS TABULAE II. SAECULI I.

vel tacitus, tranquillo, serenoque: &c. Oculos habuit claros, ac nitidos, quibus etiam existimari volebat inesse quiddam divini vigoris; gaudebatque, si quis sibi acrius intuenti, quasi ad fulgorem Solis, vultum submitteret: sed in senecta sinistro minus vidit: dentes raros, & exiguos, & scabros; capillum leviter inflexum, & subflavum; supercilia conjuncta; mediocres aures; nasum, a summo eminentiorem, & ab imo deductiorem; colorem inter aquilum, candidumque; staturam brevem (quam tamen Julius Marathus Libertus etiam in memoriam ejus quinque pedum, & dodrantis fuisse tradit) sed quae commoditate & aequitate membrorum occuleretur, ut nisi ex comparatione adstantis alicujus procerioris intelligi posset „. Egregiam Augusti formam etiam Sextus Aurelius testatur *in Epitome* cap. 1: *Fuit mitis, gratus, civilis animi, lepidi, corpore toto pulcher, sed oculis magis*. Hujusmodi tamen species plane virilis, nihil formae muliebris habebat. Quare Tacitus *Annal.* lib. I. cap. 42. scribit: *Divus Augustus vultu & aspectu Actiacas Legiones exterruit*.

55. DEO AUGUSTO, & AUGUSTO DEO apud Mediobarbum Nummi sunt, qui praeseferant. Hinc patefit, Lapidem quoque nostrum unice sic inscriptum a T. Lapponii Do-

Domitia Caſſia, quae voto ſuſcepto libens merito ipſum Imperatori ſacravit, cui propterea Decurionum decreto locus eſt datus. Plus ultra progredi aſſentatorum ingenium haud poterat. Puncta in hoc Lapide nulla. Haec Cl. Scipio Marchio Maffejus in Muſeo Veronenſi pag. 95. num. 3. Vidimus ſupra numero 42 nummum Auguſti cum Epigraphe, AVGVSTO DEO, in quo ſimulacrum Auguſti cernitur, Jovis habitu poſitum in Tarraconenſi Templo. Lege etiam quae ſcripſimus num. 43.

56. Mauſoleum Auguſti, cujus veſtigia adhuc exſtant in Aedibus Eruditiſſimi atque Cl. Praeſulis Sebaſtiani Mariae Correa, prope Eccleſiam S. Rochi, & Ripam, ut vocant, minorem Tiberis. Suetonius in ejuſdem Auguſti Vita mirandum hoc atque ad artis miraculum aedificatum Sepulcrum ita deſcribit: „ Reliquias legerunt primores Equeſtris ordinis tunicati, & diſtincti, pedibuſque nudis, ac in Mauſoleo condiderunt. Id opus inter Flaminiam Viam, ripamque Tyberis ſexto ſuo Conſulatu extruxerat; circumjectaſque ſylvas & ambulationes ad uſum Populi tunc jam publicarat,„ Strabo quoque lib. V. „Commemoratione (*inquit*) digniſſimum eſt, quod Mauſoleum appellant, in excelſis fundatum molibus, lapide niveo, & perpetuae viriditatis arboribus

INDICULUS TABULAE II. SAECULI I.

bus coopertum in fummum ufque verticem, ad fluminis ripam exaggeratum. In fummo autem pofitum eft Caefaris Augufti fimulacrum ex ære fabricatum: fub aggere ipfo funt ejus loculi, & Cognatorum, & necefsariorum: a tergo vero locus eft,mirifica continens ambulacra: in medio autem campi fpatio, fui bufti extat ambitus, & hic ipfe niveo perfectus lapide, ferreos in circuitu cancellos habens, & plantatas interius praefeferens populos ,,. Meminit ejufdem & Tacitus,lib.3. *Annalium* fcribens: ,, dies,quo reliquiae Tumulo Augufti inferebantur, modo per filentium vaftus, modo ploratibus inquies: plena Urbis itinera, conlucentefque per Martis Campum faces ,,. Ad hoc Maufoleum Virgilium refpexifse putat Cl. Ciampinius Tom. I. *Veterum Monimentorum* cap. 19. pag. 168. cum cecinit de Marcelli nimis acerbo funere:

Quantos ille virum magnam Mavortis ad Urbē
Campus aget geminus? vel quae Tyberine videbis
Funera,quum Tumulum praeterlabere recentem.

De eodem certe loquitur Xiphilinus in Hadriano his verbis: *fepultus eft ad flumen juxta Pontem Aelium, ubi monimentum fecerat: nam Augufti Maufoleum plenum erat, in quo nemo amplius fepultus eft.* Habuit haec Moles in parte anteriori duos Obelifcos, quorum unum ad Aedem

Li-

Liberianam S. Mariae Majoris, quae dicitur ad Praesepe in Esquiliis positum videmus. Pars autem anterior Mausolei illa fuit (ut animadvertit Donatus *de Urbe Roma* lib. 3. cap. 16. pag. 276.), quae spectabat Urbem. Itaque, cum sylvae, & opacae ambulationes essent a tergo Molis, versus portam, nunc Flaminiam, secundum ripam Tyberis producebantur. Quia vero locus, ubi crematus fuerat Augustus, albo distinctus saxo, ferreisque cancellis, & umbrosa arborum corona cinctus, in medio erat campo; ibi quoque exusta deinceps fuisse cadavera Augustorum, vel cadaverum effigies credibile est. Herodianus inquit: *lectum extra Urbem praeferunt in Campum Martium, ubi, qua latissime Campus patet, suggestus consurgit*. Laudatus Ciampinius locum recitat Cassiodorii lib. 5. *Variarum* Epist. 51. (pag. 56. Editionis Garetianae) quem interpretatur de Mausoleo. En autem quae Senator scribit: *sed Mundi Dominus ad potentiam suam opus extollens, mirandam etiam Romanis fabricam in vallem Martiam* (lege *Murciam* cum Garetio) *tetendit Augustus; ut immensa Moles firmiter praecincta montibus contineret, ubi magnarum rerum indicia clauderentur: bissena quippe ostia ad XII. signa posuerunt*. Sed heic sermo est, non de Augusti Mausoleo, sed de Circo Maximo,

INDICULUS TABULAE II. SAECULI I.

mo, inter Palatinum, & Aventinum sito. Nec Martia vallis est, ut doctus Praesul putat, sed Murcia; nec ipsa Martius Campus, sed vallis inter Palatium, & Aventinum, quae Murcia dicebatur (& ita legi debet juxta Codices Mss. in textu Magni Aurelii Cassiodorii) a Sacello Veneris inibi posito, ut docet Varro lib.4. de Lingua Latina: *intimus Circus ad Murcium vocatus, ut Procilius ajebat, ab arvis, quod is locus esset inter Figulos: alii esse dicunt a Murteto declinatum, quod ibi id fuerit, cujus vestigium manet, quod ibi Sacellum etiam nunc Murciae Veneris.*

56. Inscriptio, quae exstat Romae in hortis Julii Galli, edita a Grutero Tom.I. pag. XLVIII. 11. Inest Arae Herculi dedicatae V. Idus Aug. a P. Appulejo P. Filio Tribus Voltiniae, & a Paterno Milite Cohortis V. Vigilum, Consulibus Sexto Pompejo, & Sexto Appulejo, sub quibus Octavianus Augustus defunctus est. Vide *Chronicum* ad annum Aerae Christi Vulg. 13. pag. 34. & librum Chronologicum, ubi agitur de anno emortuali ejusdem Augusti, p. CCLXX.

57. Caput Juliae, (quae etiam Livia dicta fuit) Julii seu Livii Calidani filiae, quartae uxoris Augusti, Tiberio Neroni, cui prius nupta erat, abductae. Femina superba, sed mirae sagacitatis, ac prudentiae. Vultus ejus in plurimis signatus est Nummis, sed nomen

raro

raro appositum. Visitur in Romanis (ex quibus hic desumptus est) sub *Justitiae*, & *Salutis* effigie, in iis videlicet Nummis, qui Tiberii filii ejus nomen praeferunt; & sub *Pietatis* imagine in Drusianis, qui nempe, Druso nepote ejus impetrante, sunt cusi. Senatus namque sui juris adhuc nimis erat studiosus; nec Principum Feminarum nomina in Nummis suis sinebat apponi, ut animadvertit Doctissimus Vaillantius. Coloniae vero, cum essent magis remotae, & Caesarum studiosae, effigiem Juliae, & nomen simul apposuerunt. Vide laudatum Vaillantium *Tom. III. Numis. Imp.* pag. 103. & *de Colon. Rom.* Tom. I. pag. 73.

58. Nummus M. Agrippae, cum epigraphe IMP. CAES. TRAIAN. AVG. GER. DAC. P.P. REST. M. AGRIPPA COS. TER. COSSVS LENTVLVS. Caput Agrippae corona rostrata insignitum. Ex adverso, AVGVSTVS COS. XI. Caput Augusti laureatum. Cn. Cossus Cornelius Lentulus, Consul cum P. Cornelio Lentulo Marcellino anno 735, Agrippam tertium Consulem cum Augusto XI. nummo copulavit, quia hoc anno Augustus, eidem Agrippae Genero suo Tribunitiam conferens Potestatem, ipsum *ad Imperium* (ut inquit Dio) *quodammodo evexerat*. Vide Norisium *in Cenotaphiis Pis.* Diss. 1. pag. 467.,

INDICULUS TABULAE II. SAECULI I.

Gruterum pag. 107. num. 1. & 2., 166. num. 3., & 450. num. 1. Item Vaillantium *Num. Imp. Rom.* Tom. 2. pag. 38. Trajanus Nummum hunc restituit.

59. Protome M. Vipsanii Agrippae Generi Octaviani Augusti, ex praegrandi marmore Capitolino. Praetor fuit, & Censor, & decennio Tribunus Plebis, & Consul tertium. De ejus virtutibus loquuntur omnes, qui Augusto imperante floruerunt. Seneca *de Beneficiis* lib. 3. cap. 32. perbrevi, sed magnifico, Agrippam commendavit elogio: *Qui* (inquit) *tot in Urbe maxima Opera excitavit, quae & priorem magnificentiam vincerent, & nulla postea vincerentur*. In hujus celeberrimi Viri effigie (inquit Doctissimus Bottarius Tomo II. Musei Capitolini pag. 9.) nescio quid severi ac terribilis effulget; nec tamen, ut Caligulae vultus, crudelitatem, ac saevitiem spirat; quamvis in utroque supercilium prominens, & frons obducta, atque, ut cum Apulejo loquar (*Metam.* lib. 9. pag. 283. edit. ad usum Delphini), *caperata*. In Agrippa enim elucet ea animi indoles, quam his verbis Paterculus expressit lib. 2. cap. 79. *Marcus Agrippa virtutis nobilissimae, labore, vigilia, periculo invictus, parendique, sed uni, scientissimus, aliis sane imperandi cupidus, & per*

omnia

omnia extra dilationes potius, consultisque facta conjungens. Quae omnia, Lector, apertissime perspicies, si nostrum hoc marmor intuearis, necnon quae addit Seneca, dicens Epist. 94. *Marcus Agrippa vir ingentis animi, qui solus ex his, quos civilia bella claros potentesque fecerunt, felix in publicum fuit.*

60. Lucius Caesar M. Agrippae, & Juliae filius, natus sub C. Furnio & C. Silano Coss. (ut scribit Dio lib. 54.), quem Augustus, (eodem Historico teste), *quo tutior esset ab insidiis, non expectato, dum virilem aetatem attingeret, statim adoptavit*, & per assem & libram emit a Patre Agrippa, ut narrat Suetonius in eodem *Augusto* cap. 64, modum adoptionis ejus describens. Vellejus lib. 2. inquit, *Agrippae liberos, nepotes suos, Divus Augustus, praepositis Caji ac Lucii nominibus, adoptaverat.* Ex quibus colligit Emin. Norisius de *Cenotaph. Pisanis* Dissert. 2. cap. 1. pag. 136. utrique puero, Lucio videlicet, & Cajo fratri, tum primum duo illa praenomina imposita fuisse, cum alia antea ab Agrippa tulissent. Id more majorum factum: nam, qui in alienam Familiam per adoptionem transibant, fiduciarii patris Praenomen, Nomen, ac Cognomen assumebant, retento tantum patris naturalis cognomine, vel nomine parumper

immutato. Caput Lucii Caesaris sine corona heic exhibetur, delineatum ex nummo (apud Vaillantium *Numis. Imp. Rom.* To. I. p.8), quem numero insequenti illustramus.

61. Nummus Lucii Caesaris, cum Epigraphe L. CAES. AVG. F. PRINC. IVVENT. Ineunte A. U. C. 751. virilis Toga Lucio Caesari maturatur, cum ipse ageret annum aetatis decimum quintum. Natus namque est an. U. C. 736. ut Annales Dionis testantur. Augustus vero eundem Lucium die Virilis Togae Principem Juventutis declarandum curavit. Nummus, quem heic damus, servatur in Cimeliis Christianissimi Regis Galliarum, cuius ectypum ab eximiae doctrinae Viro P. Carcavio Regiae gazae Numismatum Custode sub Ludovico XIV. Rege Magno Card. Norisius impetravit, ediditque in *Dissert. 2. de Cenot. Pisan.* cap. 7. In priori parte ejusdem nummi caput Augusti laureatum visitur, cum epigraphe AVGVST. TRIBVNIC. POT. in posteriori vero, ut in nostra Tabula ad hunc numerum 61. quem expono. In Pisano Cenotaphio, in quo Lucii memorantur honores, inter cetera habetur, L. CAESARIS. AVGVSTI. FILI. AVGVRIS. CONSVLIS. DESIGNATI. PRINCIPIS. IVVENTVTIS &c. Et nota, quod in hoc

Ce-

Cenotaphio Lucius *Princeps Juventutis* inſcribitur; at is titulus Cajo in altero Cenotaphio non defertur, ſed coloni ibidem conqueruntur, *crudelibus fatis ereptum Populo Romano jam deſignatum juſtiſſumum ac ſimullumum parentis ſui virtutibus PRINCIPEM*: quibus ſane verbis, Cajus Princeps Iuventutis indicatur acerbo fato Populo Romano ſubreptus. Ovidius lib. I. de *Arte Amandi*, Cajum Caeſarem alloquens, ait:

Nunc Juvenum Princeps, deinde future ſenum.

Vide Noriſium in laudata Diſſert. 2. cap. 3. & Vaillantium Tom. I. *Numiſ. Imp. Rom.* pag. 8.

62. Nummus Caji & Lucii Caeſarum, cum epigraphe C. L. CAESARES AVGVSTI F. COS. DESIG. PRINC. nempe *Cajus*, *Lucius Caeſares*, *Auguſti Filii*, *Conſules Deſignati*, *Principes Juventutis*. Cajus & Lucius, ex Agrippa & Julia progeniti, ab Auguſto adoptati, tenent ambo togati clypeum ſuum cum haſta. Vide Muſeum Arſchotanum Tab. 12. nu. 1., Bellorium pag. 15. num. 28., Erizzum pag. 185., Goltzium Tom. 2. Tab. 71. num. 4., Harduinum pag. 702., Mediobarbum pag. 40., Card. Noriſium Tom. 3. pag. 188., Theupolum Tom. I. pag. 119., & Muſeum Mu-

Musellianum Tom. I. Tab. V. num. 10., & Tom. 3. pag. 49. num. 10.

63. Alius nummus Caji & Lucii Caesarum, cum epigraphe C. L. CAESARES AVG. F. COS. DESIG. PRINC. IVVENT. Capita adversa Caji & Lucii sine laurea. Vide Gesnerum Tab. 26. num. 25., Patinum pag. 46., Vaillantium *Numism. Rom. Imp.* Tom. I. p. 8., & de *Coloniis* Tom. I. pag. 64., ac Musellium Tom. 1. Tab. 9. num. 4. & Tom. 3. pag. 53. num. 2. Usserius ad annum Mundi 4002. scribit: „ Augustus Consulatu decimo tertio suscepto, Lucium filium in Forum deduxit (Suetonius *in Octavio* cap. 26.) iisdem illi datis honoribus, qui in fratrem Cajum ante triennium fuerant collati. Quorum & Nummi testes sunt, in quibus effigies Caji & Lucii cum clypeis & hastis cernuntur, hac inscriptione apposita C. L. CAESARES &c, ut supra legitur.

64. Nummus, in quo Lucii Caesaris caput, cum epigraphe in antica parte ΛΕΤΚΙΩΣ *Lucius*. In postica vero ΚΑΙϹΑΡΕΩΝ, *Caesariensium*. In area Capricornus, cum cornucopia. Coloniae Romanae (inquit Card. Nor. de *Cenot. Pis.* Dissert. 2. cap. I.) quibus cudendae monetae facultas ab Augusto permissa est, plures nummos, Lucii & Caji Caesarum effigie signatos, scalpendos jussere. Bi-

Binos exhibet Eques Patinus in notis nummariis ad cap. 65. Suetonii de Vita Augusti, quibus fere similes subjicit laudatus Norisius pag. 137. 138. Graecum tamen Lucii Caesaris numisma, quod exhibet ex Cimeliarchio Regis Christianissimi, licet nostro simillimum videatur, caret tamen lituo. Suetonius in Octavio cap. 94. scribit, *Augustum nummum argenteum nota Syderis Capricorni, quo natus est, percussisse* : quamvis eodem Signo aurei & ærei etiam nummi postea scalpti fuerint. Haud ignoro Scaligerum, Keplerum, ac Petavium varie de horoscopo Augusti sensisse; siquidem luxatis annis ante correctum a Julio Caesare Kalendarium, vix quicquam certi de genethliaco themate Augusti demonstrari posse videtur. Gotifredus Vendelinus apud Albertum Rubenium in Dissertatione *de Gemma Augustea*, scribit, natum Augustum *Sydere Capricorni, quintam sub terris domum Fortunae signante* : unde plerumque Capricorno in nummis Augusteis adduntur insignia Fortunae, Gubernaculum navis, Orbis, Cornucopia, uti ostendunt plura numismata, quae exhibent Goltzius Tom. 2. pag. 73., ac Patinus ad cap. 94. Suetonii. Quaenam autem Caesarea laudatum Nummum in honorem Lucii Caesaris percusserit, non ausim divinare, quo-

INDICULUS TABULAE II. SAECULI I.

quoniam ejus nominis Urbes plures id temporis extiterunt. Nam, ut inquit idem Suetonius cap. 60. de Vita Augusti, *Reges amici atque socii, & singuli in suo quique Regno Caesareas Urbes condiderunt &c.* Ceterum nummus, de quo loquimur, positus num. 64. apud Caesaream Palaestinae percussus videri posset, quod Caesarea Panias, ac Mazaca Cappadociae Metropolis, quae item Caesarea appellata fuit, nondum id nomen forte tulerant: ac in Mauritaniae seu Hispaniae Urbibus Caesareis, Latina potius, quam Graeca epigraphe idem nummus signatus fuisset. Lituus, Augurum insigne est, quo in captandis auspiciis utebantur. Visitur in nostro nummo, non autem in Norisiano pag. 138. Livius libro I. ait: „ Augur ad laevam ejus, capite velato, sedem coepit, dextra manu baculum sine nodo aduncum tenens, quem lituum appellaverunt„. De eodem lituo Cicero lib. *de Divinat.* ait: „ Quid lituus iste vester, quod clarissimum est insigne Auguratus, unde nobis est traditus? nempe eo Romulus Regiones direxit, tum cum Urbem condidit. Qui quidem Romuli lituus, idest incurvum & leviter a summo inflexum bacillum, quod ab ejus litui, quo canitur, similitudine nomen invenit &c.„. Exstat vetus Inscriptio pag. 234. Operis Gruteriani, in qua legitur,

L. CAE-

INDICULUS TABULAE II. SAECULI I.

L. CAESARI. AVGVSTI. F.
AVGVRI. COS.
DESIGNATO &c.

Augustus, cum Cajum in Pontificum Collegium cooptasset, Lucium Collegio Augurum adscripsit. Quare in Pisano Cenotaphio Augur dicitur; & in postica parte alterius nummi, in hac Tabula exhibiti num. 62. (qui omnes Cajo & Lucio Caesaribus delatos honores sub oculos ponit) visuntur Pontificum, atque Augurum insignia, nempe prope Cajum simpulum, ac prope Lucium lituus, de quo loquimur. De simpulo vide Varronem lib. 4. *de Lingua Latina*, Plinium lib. 35. cap. 12, & Festum. Simpulum, etiam simpuvium dicebatur, ut Lexicographi praenotarunt. Quare Juvenalis Satyra 6. v. 343. ait,

Simpuvium videre Numae.

65. Nummus Juliae, & Augusti, quem Vaillantius de Coloniis Tom. 1. pag. 76. luculenter exponit. In antica, INDVLGENTIAE AVG. MONETA IMPETRATA. Caput Juliae velatum sine nomine. (Vide supra in nostro Indiculo num. 57.). In postica, COL. A. A. P. CAESARI AVG. *Colonia Augusta Aroe Patrensis Caesari Augusto*; & Augustus in quadrigis, manu gerens sceptrum, cujus in apice aquila. Nummum vulgavit Se-

INDICULUS TABULAE II SAECULI I.

guinus pag. 114. edit. 2. & de Patris diserte ſcribens, litteras A. A. P. de Patrenſis Coloniae nominibus Auguſtae, Aroes, Patrenſis, a tribus conditoribus & reſtauratoribus Eumelo, Patreo, Auguſto optime interpretatus eſt. Patrae urbs Achajae, quae ab Auguſto anno U.C.725., ut innuit Strabo, deducta eſt Colonia, tranſmiſſis in eam Legionis XXII Primigeniae veteranis, ut illius nomen, & ſigna militaria in hujus Coloniae nummis frequenter percuſſa penitus arguunt. Quadrigae in quibus vehitur Auguſtus, quinti ejus Conſulatus ſolemnem pompam deſignare videntur: dextera enim ſcipionem eburneum, inſigne Conſulatus praefert, quem tunc cum Sexto Apulejo gerebat. Sed, ut proſequitur Vaillantius, de capite muliebri velato nihil Seguinus protulit: ipſe enim dubius de monetae effigie, ad Liviam revocare non auſus eſt. Sed tot nummi Liviae vultum nobis exhibentes, ad eam pertinere facile demonſtrant: ejus quippe imaginem primis Imperii temporibus ut ſatis notam, ſine nomine vulgabant. Patrenſes Auguſti beneficiis devincti, ab una parte ejus Uxoris caput, ex altera ipſum in quadrigis triumphantem exhibuerunt; ſed praecipue ob Actiacam victoriam, cujus meminit Dio lib. 51. pag. 459. *ſecunda die Caeſar de Actiaca na-*

navali pugna triumphavit. Ipsi enim bello civili inter Augustum, & Antonium dispersi, clementia Augusti revocati sunt, incolis ex oppidis vicinis in suam Urbem traductis; deductisque Legionis vigesimae secundae Veteranis, coloni facti sunt Romani. Indulgentia in Nummo, pro permissione usurpatur. Huc usque rei nummariae callentissimus Vaillantius.

66.) Marcus Agrippa, cum post Philip-
67.) pense praelium Romam rediisset, Pomponiam T. Pomponii Attici (ad quem sunt Ciceronis Epistolae) filiam duxit uxorem, *atque harum nuptiarum conciliator fuit M. Antonius Triumvir Reipub.*, teste Cornelio Nepote Concive meo in Libello *de Vita Attici*. Ex Pomponia conjuge filiam Agrippinam suscepit, quae mater extitit minoris Drusi. Eam Tacitus Vipsaniam vocat. Julia, Caji & Lucii Caesarum mater, Agrippa viro orbata est, dum annum aetatis ageret septimum supra vicesimum. Quare Augustus, ne filia quicquam, quod imperantis familiae dignitatem deceret minus, admitteret, eandem Tiberio, qui rerum post ipsum Augustum potitus est, nondum finito luctu, despondit, jubens eundem divortium facere cum Agrippina; quamvis hanc quoque idem Augustus vix anniculam eidem uxorem destinasset, te-

INDICULUS TABULAE II SAECULI I.

ſte laudato Cornelio Nepote. Suetonius de hiſce Tiberii nuptiis ſcribit cap. 7. „ Juliam Auguſti filiam confeſtim coactus eſt ducere, non ſine magno angore animi, cum & Agrippinae conſuetudine teneretur, & Juliae mores improbaret; ut quam ſenſiſſet ſui quoque ſub priori marito appetentem, quod ſane vulgo etiam exiſtimabatur„. Tiberius ergo ab Auguſto compulſus, Agrippinam vel ſibi gratiſſimam repudiavit, & Juliam Auguſti & Scriboniae filiam (quae prius nupſerat C. Marcello, dein Marco Agrippae) in matrimonium duxit. Sed, ut Aeneas Vicus Parmenſis animadvertit in libro *Auguſtarum imaginum aereis formis expreſſarum &c.* pag. 55. (ubi Agrippinae nummum, quem heic illuſtramus, evulgavit, ex libro quodam a diverſis compoſito, & ab Andrea Fulvio, praecipue Jacobo Sadoleto Epiſcopo Carpent. poſtea Cardinali conſecrato Pontifici Leoni X. an. 1517., depromptum, una cum inſequenti Inſcriptione poſita num. 67.) „ Tiberius Agrippinam abegiſſe poſt divortium doluit, & ſemel omnino ex occurſu viſam, adeo contentis & tumentibus oculis proſequutus eſt, ut cuſtoditum ſit, ne unquam in conſpectum ejus poſthac veniret, ut in Vita Tiberii teſtatur Suetonius. Accepit igitur Agrippina Aſinium Gallum, Aſinii Pollionis filium,

filium, qui hac ipsa de causa postea Tiberii Principis jussu caesus est, cum nonnullam concitasset opinionem, quod hac ratione Principatum ambiret, ut scribit Dio lib.57. „

68. Caput Vipsaniae Agrippinae primae Tiberii uxoris, ex marmore Parmensi, de qua supra numeris 66. & 67.

69. Nummus Drusi Neronis, fratris Tiberii, cum Epigraphe DE GERMANIS. Duo clypei cum spiculis, & signo militari. Clypei oblongi, spicula, & vexillum (insigne Equitum) in hoc nummo caelantur in memoriam eorum, quae Drusus Tiberii frater de Germanis victor retulit. Rector fuit Romani exercitus in Germania, Provinciamque majori ex parte domuit. Obiit collapsus equo, fractoque inde crure, aetatis an. 30. Tacit. *Annal.* lib. 1. Paterculus l. 2. cap. 97. Vide Vaillant. *Numism. Imp. Rom.* Tom.2. pag. 45. & Theupolum *Mus. antiq. Numism.* Tom. 1. pag.127.

70. Caput Drusi sine laurea, ex nummo, de quo supra num. 69. Legitur in Epigraphe, NERO CLAVDIVS DRVSVS GERMANICVS IMP. Vide Vaillantium *Numis. Imp. Rom.* Tom. 2. pag. 45., & Museum Musellianum Tom. 1. Tab. XI. num. 2. ac Tom. 3. pag. 55.

71. Arcus Triumphalis ex nummo Claudii, su-

INDICULUS TABULAE II. SAECULI I.

supra quem figura equestris inter duo tropaea cum captivis. In ejus perystilio legitur, De GERManis. Vide Pedrusium in *Museo Parm.* Tom. 1. Tab. 3. n. 1., Vaillant. *Numis. Imp. Rom.* Tom. 2. p. 45. & Theupolum *Mus. antiq. Numism.* Tom. 1. pag. 128. Nusquam mortuis, ut scite animadvertit Norisius Differt. 3. de *Cenotaph. Pisanis* cap. 8., florente Republica Arcus a S.P.Q.R. decreti sunt, sed solis imperatoribus, qui Victores reversi, id partae gloriae monumentum referebant, quo feros quosque posteros ad bellicam virtutem excitarent. Ubi res Romana ad unum Augustum delata est, mire adulandi artes eruperunt, & mortuo in Germania Druso Nerone (qui dicitur Drusus major) ejusdem Augusti privigno, Arcus eidem via Appia a Senatu decretus fuit, ut scribit Suetonius in vita Claudii ejusdem Drusi majoris filii: *praeterea Senatus inter alia complura Arcum marmoreum cum tropaeis via Appia decrevit*. Hunc primum defuncto Duci erectum Arcum accepimus. Post Augusti mortem id honoris & tertius Romanorum Ducum, post obitum, obtinuit Germanicus Caesar, ita scribente Tacito libro *Annalium* secundo: „ Arcus additi Romae, & ad ripam Rheni, cum Inscriptione rerum gestarum, & mortem ob Rempublicam obiisse „.

Spe-

Specum Romani Aquaeductus ad Portam S.Sebastiani,esse illum Arcum,quem Senatu decernente (ex laudato Suetonio *in Claudio* c.1.) Augustus in honorem Drusi privigni statuit, Cl. Raphael Fabrettus multis ostendit in Dissert. 1. *de Aquis, & Aquaeductibus Veteris Romae* pag. 40. Et maxima inter nummum hujus Arcus Drusiani, & ipsius reliquias similitudo, ei primum conjecturae fundamentum praebet;ut ex utriusque schemate,quod ibi æri incisum exhibet, licet agnoscere. Distinguunt quoque hunc Triumphalem Drusi Fornicem ab aliis, nostroque nummo assimilem faciunt, fenestrae laterales,quarum vestigium adhuc superest,ut in eadem tabula incisa una cum typo Arcus Drusi, a Tiberio Claudio Caesare ejus filio cusi, cernitur. Non ideo tamen (inquit laudatus Fabrettus) pag. 47. Angelonio assentior, qui, ad Nummum IX. pag.46., Arcum ab ipso Claudio erectum, ornatumque asserit. Nam Dio lib. 54. tanquam de re, tempore Augusti nedum decreta, verum etiam perfecta, loqui videtur :,, Et ipse quidem (*Drusus*) in Martium Campum ab Equitibus Equestrem ordinem exacte servantibus, & ab iis, qui erant e genere Senatorio, deductus fuit. Et hic igni datus, in Augusti monumentum depositus fuit,GERMANICVSQVE cum filiis cogno-

INDICULUS TABULAE II. SAECULI I.

gnominatus est, honoresque Statuarum, Arcuum, & honorarii ad ipsum Rhenum tumuli dati „. Nec credibile est, Augustum (, *qui bonora & magnifica in Drusum fecit*, ut Tacitus monumentis suorum *Annalium* lib. 3. mandavit, & tantopere (*ut cum Suetonio loquar*) vivum dilexit, ut cohaeredem semper filiis instituerit, & defunctum pro concione laudaverit; nec contentus elogium tumulo ejus, versibus a se compositis, insculpsisse, etiam vitae memoriam prosa oratione composuerit,) honorem Arcus, statim post ejus obitum *a Senatu* decreti, per 23. annos, quibus privigno supervixit, neglexisse, & tamdiu effectu vacuum reliquisse; urgente praesertim Livia uxore, quae in acerbissimo maximoque filii luctu, quo sibi fere vitam exhausit (ut Pedo Albinovanus testatur), supremum hunc filio honorem, sibique solatium differri minime passa fuisset. Huc usque fere ad verbum ex eodem Fabretto. Drusus in Magistratu mortuus est in Germania A. U. C. 744. Ipsum vero una cum filiis GERMANICVM appellatum invenio apud Dionem; quod cognomen ei primum Senatum a Provincia imposuisse, ait Eutropius. Scribit Vellejus, *Drusum Consulem, agentem annos 30. mors rapuit*. Liviana Historia hujus Drusi morte expletur; sic est enim in Epitoma ultima. 27. Ti-

72. TIBERIUS EX ILLYRICO REDVX POST DOMITOS DALMATAS ET PANNONAS, ex incomparabili Achate Caesarei Thesauri. Etsi pulcherrimus iste Imperatoris Achates Apotheosim non repraesentet, cum tamen eosdem ferme Principes exhibeat, quos praecedens Achates positus num. 36, opportune illi subjungitur heic in Claudio. Pater Montfauconius Tom. V. part. 1. Tab. 128. *Antiq. Expliq.* pag. 160. hoc antiquae incidendi artis opus vere admirandum celebrat, atque his verbis illustrat: „ Statim conspicitur Augustus in Solio sedens seminudus, quo pacto Jovem ut plurimum videmus. Is manu dextera lituum tenet, utpote Augur, quod Sacerdotii genus Imperatoribus tribuebatur. Pone illum est mulier pinnis coronata, scilicet Cybele, quae coronam lauream capiti Augusti imponit; & ante Cybelen Neptunus, cujus humero Cybele alteram manum imponit. Cybele terram, Neptunus mare significat; hisque indicantur victoriae ab Augusto in mari, terraque reportatae. Mulier ante Cybelen, & Neptunum sedens, & cornu copiae tenens, duos secum puerulos nudos habet: eam putat Rubenius esse Agrippinam Germanici uxorem. Supra caput Augusti in circulo Capricornus repraesentatur, quod erat genethlia-

INDICULUS TABULAE II SAECULI I.

cum thema, five fidus Natalitium Augufti. Suetonius cap. 94. *de Augusto* dicit: *Tantam mox fiduciam fati Augustus habuit, ut thema suum vulgaverit, nummumque argenteum nota Sideris Capricorni, quo natus est, percusserit*. A latere Augufti, fedet Roma Dea: ea caffide armatur, hafta item, & clypeo. Putatur Liviae vultum referre: illo aevo faepe Auguftae Dearum more pingebantur. Auguftus pedibus clypeum calcat, Roma vero loricam, cui fuperpofita galea. Roma cum Augufto faepe conjuncta vifebatur. Hodieque templa reperimus, Romae & Augufto dicata, ut fertur in Infcriptione. Aliae quoque Infcriptiones occurrunt, ubi Roma cum Augufto jungitur: id Auguftus ipfe praecepit, ut ait Suetonius: *Templa quamvis sciret etiam Proconsulibus decerni solere, in nulla tamen Provincia, nisi communi Suo Romaeque nomine suscepit*. Prope Romam eft Germanicus Caefar lorica armatus, & paludamento amictus, propterque Germanicum Tiberius ex curru a Victoria ducto defcendens. Tiberius togam Praetextam geftat, eorum more, qui triumphabant, manuque altera baculum, altera volumen tenet. Putat Rubenius hoc in lapide repraefentari ea, quae gefta funt poftquam Tiberius ex Illyrico bello rediit, quod gra-

graviſſimum omnium externorum bellorum post Punica, ut Suetonius ait, per quinquaginta quinque Legiones, paremque auxiliorum copiam triennio geſſit, & ſtrenue confecit Tiberius: ideoque ipſi decretus Triumphus eſt ob domitos Dalmatas, & Pannonas; ſed, nunciata interim Vari clade, triumphum distulit Tiberius; tantumque praetextatus, & lauro coronatus Urbem ingreſſus eſt, ut heic repraeſentatur. Ima gemmae pars, victoriae ſignis onuſta eſt. Milites Romani tropaeum erigunt pro victoria, ut creditur, de Dalmatis, & Pannonibus reportata: ſcutum tropaeo imponendum, Scorpionis Signo notatur. Captivi braccas geſtant; ex iiſque unus torque ornatur: ſunt quippe Dalmatae, & Pannones, qui more Gallorum armati erant, inquit Strabo lib.7. ὁ δ' ὁπλισμὸς Κελτικός Duces praecipui, capti fuere, nempe Bato, Dyſidiates, & Pinnes, Batonis proditione captus: ii vero alligantur, ad tropaei pedem conſtituendi. Mulieres duae, prope captivos lugentes, eorum forſitan uxores ſunt. Altera mulier, quae unius ex duabus caput tangit, petaſum geſtat hodiernis petaſis ſimilem „. Vide hanc gemmam etiam in *Muſeo Veron.* de qua Cl. Scipio Marchio Maffejus p.245. hoc breve texit elogium: *Caeſarei theſauri ocellum, priſcorum*

 artis

INDICULUS TABULAE II. SAECULI I.

artis & industriae miraculum, gemmam omnino incomparabilem, Danielis Bertoli manu, qui tanto operi unice par fuit, delineatam, conspice crudite Lector, &, ni grave sit, quae super illa in Observ. Liter. *Tomo IV. disserui, respice.* Vide etiam *Chronicum* ad ann. Aerae Christi Vulgaris 11. pag. 30.

73. Tiberius anno U.C.756. ad bellum Germanicum conficiendum missus fuit, ut scribit Vellejus cap. 104. *Protinus in Germaniam misit Tiberium Augustus, ubi ante triennium immensum exarserat bellum.* Vide *Chronicum* ad annum 7. Aerae Christi Vulgaris pag. 24. Aestiva usque ad Decembrem perduxit: ait enim idem Vellejus cap. 105. *Anni ejus aestiva usque in Decembrem mensem perducta, immanis emolumentum fecere victoriae.* Ob hanc victoriam de Germanis partam dictus est IMPERATOR III. Dein anno 758., quo *Veris initio rediit in Germaniam*, (& ut narrat laudatus Vellejus cap. 107. *perlustrata armis tota Germania est: victae Gentes pene nominibus incognitae &c.*), dictus est IMP. IIII. ut videre licet in *Nummis* apud Mediobarbum. Tum Tiberius, (prosequitur idem Vellejus) *eadem, qua priore anno, festinatione Urbem petiit*, & ut scribit Dio lib. 7. *de Germanis Imperatoris nomen non Augustus modo, sed Tiberius*

rius etiam invenit. Quare in Nummo, quem illustramus, IMPERATOR V. inscribitur, quem titulum Tiberius recepit anno U. C. 761, bello Dalmatico fausto, felici, fortunatoque exitu confecto, & deditione facta; ut constat ex alio nummo apud Mediobarbum hujus anni, & ut Dio monumentis Annalium consignavit libro 55, scribens: *Ita Dalmatia partim bello, partim pacificatione ad Romanos rediit*: & lib. 56. *Victoriae nuntium attulit Germanicus, ejusque ergo Augusto, & Tiberio nomen Imperatorum auctum, ac Triumphus decretus*. Vincentibus Ducibus Augustos IMPERATORIS nomen multiplicasse, Octaviani Augusti exemplo, omnibus eruditis Viris exploratum est. Vide *Chronicum* ad an. 7. & 8. Aerae Christi Vulgaris, pag. 24. & 26.

74. Nummus Tiberii ex ære, cum epigraphe ROM. ET AVG. *Romae & Augusto*. Jo. Petrus Bellorius *in Adnotationibus in XII. priorum Caesarum Numismata* pag. 27. num. 16. scribit: „ Templum, seu Ara Augusto dicata cum Victoriis. Erizzus (p. 193.) Templum esse arbitratur Tiberio positum ab Asiaticis, ipsorum Civitatibus a terraemotu restitutis. Error patet, cum Nummus cusus sit vivo Augusto: Asiae vero Urbes multo post, Imperitante Tiberio, terraemotu perculsae fue-

fuerint. Ad titulum vero ROM. ET AVG. haec docet Suetonius: *Templa, quamvis sciret etiam Proconsulibus decerni solere, in nulla tamen Provincia, nisi communi Suo Romaeque nomine recepit: nam in Urbe quidem pertinacissime abstinuit hoc honore*. Videtur tamen cusus Nummus in aliqua Hispaniae Colonia, (ut ex forma, & opificio apparet), non Pergami, cum Templo in honorem Augusti (de quo Tacitus): nam Pergamenorum Nummi Graeci omnes „. Vide, quae leguntur in Gotha Nummaria Liebe, pag. 526., & quae nos de Templo, *Romae & Augusto* dedicato, jam adnotavimus numeris 42. 43. 55. & 72. hujus Tabulae. Exstat hic Nummus in Museo Theupolo Tom. 1. pag. 391, & in Muselliano Tomo 1. Tab. XI. num. 8. ac Tomo 3. pag. 56. num. 8., item apud Gesnerum Tab. 35. num. 7. & Mediobarbum pag. 63.

75. Nummus Tiberii ex ære, cum epigraphe PACE AVG. PERP. *Pace Augusti Perpetua*. Jo. Petrus Bellorius *in Adnotationibus in XII. priorum Caesarum Numismata* pag. 25. num. 4. scribit: „ *Cum hic Nummus non Romae, sed in Colonia cusus sit, male Erizzus arbitratur, memoriam extare Jani clausi a Tiberio, ac veritati adversatur; cum, post Augustum, Nero tantum Janum cluserit. Addita est quer-*

quercea Corona a Colonis dicata. Nonius ad Augustum hunc Nummum spectare asserit; sed inscriptio PACE AVG. PERP. intelligenda est de Tiberio, non de Augusto; quo mortuo praecedere debuisset DIVI titulus, quo vivo Tiberius Augusti nomen non assumpsisset. Non ergo loquitur inscriptio de Jano clauso, at de Pace sub Tiberio, quam, praeter Velleji elogium relatum insequenti numero 76., cecinit Germanicus Caesar, Germanis a se devictis, ac Tiberium invocat:

Pax tua, tuque adsis nato, nomemque secundes.

Et Manilius,

Jam propriusque favet Mundus scrutantibus ipsum,
Et rapit aethereos per carmina pandere census
Hoc sub pace vacat tantum.

Germanicum vero, & Manilium sub Tiberio scripsisse, diserte probat Jo: Tristanus contra Scaligeri sententiam,,. Vide Vaillantium *Numism. Imp. Rom.* Tom. 2. pag. 33.

76. Nummus Tiberii, cum epigraphe PONTIF. MAXIM. TRIBVN. POTEST. XXIIX. S. C. *Caduceus alatus*. Jo: Petrus Bellorius *in Adnotationibus in XII. priorum Caesarum Numismata* pag. 25. num. 3. scribit: ,, *Caduceum pacis typus. De Pace, Imperitante Tiberio repetam Paterculi elogium.*

,, *Quan-*

INDICULUS TABULAE II SAECULI I.

„*Quando Pax laetior diffusa in Orientis, Occidentisque tractus, & quidquid Meridiano, aut Septentrione finitur, Pax Augusti per omnes terrarum Orbis angulos a latrociniorum metu servat immunes*„. Lege quae scripsimus in antecedenti num. 75. Anno Aerae Chr. Vulg. 25. Tiberius gerebat Trib. Potest. 28. Vide Mediobarbum pag. 67., & Norisium in *Dissert. Chronol. De Votis Decennalibus* cap. 2.

77. Nummus Tiberii, cum Victoria alata Orbi insidente, quae ambabus manibus sertum tenet, & cum epigraphe TR. POT. XXVI. quae Annis Aerae Chr. Vulg. 23. & 24. respondet. Idem Victoriae typus visitur etiam *in Museis* Theupolo (Tom. 1. pag. 127.) Musselliano (Tom. 1. Tab. XII. num. 10., & Tom. 3. pag. 58. num. 10.), & Arschotano (Tab. 17. num. 6.): item apud Begerum Vol. 2. pag. 611., De Bie. Tab. 4., & Mediobarbum pag. 66. Paterculi elogium de Tiberio, a nobis num. praecedenti recitatum, mire typum hujus Numismatis illustrat.

78. Nummus Tiberii, cum epigraphe CLEMENTIAE. S. C. Clypeus votivus, in quo caput insculptum est Clementiae, ad Tiberii laudem. Vide Musellium Tom. 1. Tab. 12. *Imp. Rom.* num. 4., & Tom. 3. pag. 57. num. 4., Museum Arschotanum Tab. 17. num. 14., Bel-

Bellorium pag. 27. n. 18., Gesnerum Tab. 34. num. 14., Goltzium Tom. 2. Tab. 9. num. 6., Harduinum pag. 709., Mediobarbum pag. 64., Patinum pag. 50., & Vaillantium Tom. 1. *Numism. Imp. Rom.* pag. 9.

79. Nummus Tiberii, cum epigraphe PONTIF. MAXIM. Tiberius anno U. C. 767. ad diem VI. Idus Martias Pontifex Maximus creatus est: QVEM. DIEM. QVO. FREQVENTIOR. QVOTANNIS. SIT. SERVABIMVS. VI. IDVS. MARTIAS. QVIA HAC. TI. CAES. PONT. MAX. FELICISSIME. CREATVS. EST, ut loquitur Colonia Florentina in Tabula marmorea apud Gruterum p. 228. Dies enim Summi Pontificatus Imperatoribus delati ubique gentium in Orbe Romano eximio cultu celebrabantur: quod Norisius Differt. 3. cap. 7. pag. 221. *de Epochis Syro-Macedonum* colligit ex allata Gruteriana Inscriptione, ex Nummo ab Antiochenis A. U. C. 741. in honorem Augusti cuso, quo anno *Augustus Pontifex Maximus* creatus est, & ex alio ab iisdem in honorem Tiberii sculpto anno primo Imperii ejus, in quo ipse Tiberius *Pont. Max.* appellatur. Ceterum (ut animadvertit Cl. Georgius, ex quo ista mutuati sumus, *in Not. ad Criticam Pagii*) Gruteriana Inscriptio, quae de Pontificatu Tiberii

INDICULUS TABULAE II. SAECULI I.

quotannis celebrando loquitur, non ad Cenetensem, ut scribit Norisius, sed ad Florentinam Coloniam pertinet; ut patet ex Antiquis Inscriptionibus Etruriae (Part. 1. pag. 316.) nuper vulgatis a Doctissimo & mei amantissimo Viro Ant. Francisco Gorio. In Nummo, quem illustramus, visitur figura sedens, quae dextra hastam puram, & sinistra laurum tenet. Jo: Bellorius *in Adnotationibus in XII. Caes.* simulacrum Liviae sedentis interpretatur. Exstat apud eundem pag. 28. num. 1., nec non apud Gesnerum Tab. 33. num. 14., Goltzium Tom. 2. Tab. 2. num. 17., Mediobarbum pag. 64., Theupolum Tom. 1. pag. 390., & Musellium Tom. 1. Tab. 11. num. 10. Vide *Chronicum* ad memoratum ann. U.C. 767. pag. 36., quo Tiberius Pontifex Maximus proclamatus est, & Diarium Italicum Cl. Montfauconii pag. 382.

80. Nummus Tiberii, cum epigraphe TI. CAESAR, & cum Quadriga triumphali, quae visitur etiam in alio ejusdem Nummo (apud Musellium Tom. 1. Tab. 6. num. 2, Theupolum Tom. 1. pag. 126., Mediobarbum pag. 42., & Gesnerum Tab. 18. num. 31.) inscripto, TIberius CAESAR AVGVSti Filius TRIbunicia POTestate XV. Cusus est hic Anno Aerae Christi Vulg. 12, quo anno Tiberius e Germania Romam rediit, & triumphans Urbem

bem ingressus est. Vide Pagium in Critica, & Stampam in Notis ad Commentaria in Fastos Sigonianos ad hunc annum. Adstipulatur utrique Vellejus Paterculus testis oculatus.

81. Nummus Tiberii, cum epigraphe S.P.Q.R. & Templo. Doctissimus Vaillantius in illustratione *Numism.* Domini de Camps pag. 5. scribit, in antica *Imperator V. inscribitur in Nummo Tiberius, quem titulum, Dalmatis ferro & igne domitis, recepit anno U.C. 761: ut Dio narrat*, ita Dalmatia partim bello, partim pacificatione ad Romanos rediit. *Templum in aversa parte pulcherrimum, Concordiae est &c. Concordia sedet in aditu Templi, dextra pateram, sinistra cornu copiae solitum insigne tenens: hinc Tiberii stantis, illinc Drusi fratris statua, etsi male sculptae ab Incisore: at, ut aeterna esset hujus Templi, & eorum concordiae apud posteros memoria, percussus est maximus Nummus, his temporibus admodum rarus*. Anno U.C. 762 Tiberius hanc Concordiae Aedem dedicavit, ut testatur Dio lib. 56. ubi, narratis iis, quae Sulpicio Camerino & Poppaeo Sabino Consulibus (An. U.C. 761.) gesta sunt, ait: *Anno sequenti Tiberius Aedem Concordiae sacravit, inscripto suo, & fratris Drusi vita pridem functi nominibus*. Suetonius quoque in Tiberio cap. 21. *Dedi-*

cavit & Concordiae Aedem, item Pollucis, & Castoris, suo, fratrisque nomine, de manubriis. Facta haec Dedicatio die 17. Kal. Februarias, teste Ovidio in Libro 1. Fastorum:

Candida te niveo posuit lux proxima templo,
Qua fert sublimes alta Moneta gradus.
Nunc bene prospicies Latiam Concordia turbam:
Nunc te sacratae constituere manus.
Furius antiquus Populi superator Hetrusci
Voverat, & voti solverat ille fidem.
Causa, quod a Patribus, sumptis secesserat armis
Vulgus, & ipsa suas Roma timebat opes.
Causa recens melior: passos Germania crines
Corrigit auspiciis dux venerande tuis.
Inde triumphatae libasti munera Gentis,
Templaque fecisti, quam colis ipse, Deae.
Haec tua constituit genitrix & rebus, & ara,
Sola thoro magni digna reperta Jovis.

Quibus sane versibus Poeta videtur innuere, Templum Concordiae a Tiberio dedicatum, idem fuisse, quod Camillus olim propter Populi seditionem erexerat. Vide Donatum *de Urbe Roma* cap. 14. pag. 143.

82. Nummus Tiberii, cum epigraphe PONT. MAXIM. COS. III. IMP. VII. TR. POT. XXII. Haec Tribunicia Potestas pariatur

tur cum anno Aerae Chr. Vulg. 20 usque ad V. Kalendas Julii, qua die incipit annus insequentis Trib. Pot. 23. Vide *Chron.* ad eundem ann. Aer. Chr. Vulg. pag. 46. Jo: Petrus Bellorius *in Adnotationibus in XII. priorum Caesarum Numismata* pag. 25. num. 1. scribit: *Non faces, ut Vicus expressit, sed copiae cornua, in quorum medio caduceum, Pacis, Abundantiae, ac Felicitatis typus, juxta Velleji Paterculi Elogium:* Quando Annona moderatior? Quando Pax laetior? *Simile emblema exstat in alio Tiberii Nummo, percusso vivente Augusto.*

83.) Nummus Antoniae minoris, M. Anto-
84.) nii & Octaviae majoris filiae, Drusi majoris uxoris, & Germanici ac Claudii matris, cujus Caput in antica, est redimitum corona spicea (ut visitur in hac Tabula num. 84.), & inscribitur, ANTONIA AVGVSTA. Postica habet duas taedas cum corollis, & epigraphe, SACERDOS DIVI AVGVSTI. Cl. Vaillantius *Numis. Imp. Rom.* Tom. 2. pag. 46. a Cajo Caligula fuisse cusum putat: „ *Caligula* (inquit) *aviam Antoniam Augusti Sacerdotem fecit more Graecorum, quum haec esset abstemia: prius illa tantum Flamines, & Sodales habebat. Aviae etiam Cajus omnes Vestalium honores tribuit: ideo illa coronatur spicis, quum eadem Vesta sit, & Ceres; facesque in aversa parte*

ad

INDICULUS TABULAE II. SAECULI I.

ad mysteria Cereris spectant, quae ipsis agebantur accensis : nisi sint ignis aeterni a Vestalibus servati symbola. Ego vero a Claudio Augusto Antoniae filio editum Nummum ajo, ut Matri, & Avo M. Antonio gratificaretur quamsimillimo munere. Inter ceteros namque honorum titulos, quos Dictatori Caesari post bella civilia profligata Senatus detulit, *Jovis ipsi* (inquit Dio lib. 44.) *cognomentum palam imposuerunt, Templumque ei Clementiae dedicari jusserunt, Sacerdotioque ejus Antonium* (hujus Antoniae minoris Patrem), *quasi Flaminem Dialem aliquem, praefecerunt*. Cicero in secunda Philippica num. 106. hunc Caesaris Flaminem execratus, ait: *Est ergo Flamen, ut Jovi, ut Marti, ut Quirino, sic Divo Julio M. Antonius*. At Caesare superstite, eodemque forte vetante, non fuisse Antonium inauguratum, colligitur ex eodem Oratore. Immo Antonius, quamvis Flamen Caesaris destinatus, eodem occiso, invidiae forte metu, seu, quod stultitiae proximum ducebat trucidati hominis Flaminem esse, inaugurationem omisit, teste eodem Cicerone in Philippica 13. Augustus primum inter Principes Romanos, cum adhuc in vivis esset, suomet nomini tanquam Numini consecratos Flamines habuit: & Antonius fuit Flamen Julii Caesaris adhuc superstitis

tis designatus anno U.C. 709, ex Dione proxime laudato, licet tunc non fuerit etiam inauguratus, sed, ut vulgo dicitur, tantum consecratus: illo vero mortuo, Flaminium reliquit, ut scribit Tullius; quamvis postea ejusdem Sacerdos in gratiam Augusti creatus fuerit, auctore Plutarco in Antonio, qui, narrata pace, inter hunc, ac Caesarem, & Sextum Pompejum A.U.714. facta, ait: *in gratiam Caesaris* Octaviani, *prioris Caesaris Sacerdos factus est*. De Aris, & Sacerdotibus Augusti, vide quae diximus num. 42. & 43. Si cui tamen nostra sententia minus arriserit, ipsum scire volo, Sacerdotum feminarum frequentissimam haberi mentionem in Inscriptionibus Gruterianis: item apud Cl. Montfauconium in Palaeographia Graeca pag. 160., & in Commentario Caroli Patini ad vetus monumentum Marcellinae. Prae ceteris tamen diligenter in hoc argumento de Sacerdotiis Romanorum versatus est Onuphrius Panvinius in prioribus 145. capitibus Operis luculenti *de Civitate Romana* Tom. 1. Graevii, Guielmus Coulius in Tractatu brevi *de Sacerdotiis*, Libro *de Religione Romanorum* annexo, Paulus Merula in Tractatu item *de Sacerdotibus Romanorum*, & Jacobus Gutherus vir praestantissimus in quatuor libris *de Jure Pontificio*. Nummus, de quo

INDICULUS TABULAE II. SAECULI I.

quo loquimur, extat etiam in Museo Theupolo Tom. 1. pag. 128.

85. Nummus Antoniae Drusi majoris uxoris, cum epigraphe CONSTANTIAE AVGVST. Figura muliebris, quae dextra facem oblongam, laeva cornucopiam gerit. Exstat hic Nummus in Museo Theupolo Tom. 1. pag. 128. Vaillantius *Numis. Imp. Rom.* Tom. 2. pag. 46. *Antonia* (inquit) *spicea corona ornatur, tanquam altera Ceres, in prima fronte Nummi, qui a Claudio filio cusus videtur ob* Constantiae *symbolum, quo usus est. In aversa parte, stat illa cum face, quam quaerendo Proserpinam filiam gerebat, & cornu copiae habet; quum illa frumenti sationem docuerit.*

86. Augustalium originem recitat Tacitus sub initium Principatus Tiberii anno U. C. 766. (Aerae Christi Vulg. 13.), quo Augustus & imperandi, & vivendi finem fecit: *Idem annus* (inquit) *novas caeremonias accepit, addito Sodalium Augustalium Sacerdotio, ut quondam T. Tatius retinendis Sabinorum sacris, Sodales Titios instituerat. Sorte ducti e primoribus Civitatis unus & viginti. Tiberius, Drususque, & Claudius, & Germanicus adjiciuntur.* Tiberius, ejusque exemplo plerique in Urbe, Augustales Sodales instituerunt, qui consecrati post mortem Augusti,

tan-

tanquam Numinis ſacra curarent. Tum (inquit Card. Noriſius *de Cenot. Piſan.* Diſſert. I. p.121.) etiam Romani Orbis Coloniae, aliaque Oppida, Auguſtalium Collegia inſtituerunt, ut inſigni erga demortuum Principem officio, Succeſſoris ſibi benevolentiam conciliarent. In iis Collegiis, ſex primum nominati, Seviri Auguſtales dicebantur, Magiſtri quoque Auguſtales nuncupati. Cum vero eorum numerus in Coloniis, ac Municipiis excrevit, in plura Collegia partiti ſunt, nempe Juvenum; ac Seniorum, quibus diſtincti VI.Viri praeerant, ut conſtat ex elogiis veterum Inſcriptionum. In Agro Veronae Patriae meae exſtat Lapis, in quo legitur:

Q. OCTAVIO
Q. L. POP. PRIMO
VI. VIRO AVG.
SAC. IVVEN.

Nempe *VI.Viro Auguſtali Sacerdotum Juvenum*. Si Juniores erant in Decurias diſtincti, ſenarium numerum excedebant. Auguſtales Colonici, uti Pontifices, & Augures, a Decurionibus creabantur. Inſignis Inſcriptio, cujus fragmentum profert Em. Noriſius in iiſdem *Cenot. Piſ.* Diſſert. 1. pag. 122, noſtrum lapidem Puteolanum, de quo agimus, plurimum illu-

ſtrabit: habet enim, *M. Megonius pecuniam ac fundum teſtamento legat Reip. Petilinorum, jubens ex uſuris comparari Auguſtalium nomine inſtrumentum duorum tricliniorum, quod* (inquit), *me vivo, tradidi, candelabra, & lucernas bilychnes arbitrio Auguſtalium, quo facilius ſtrati IVS PVBLICVM obire poſſint, quod ipſum ad utilitatem Reipublicae noſtrae pertinere exiſtimavi, facilius ſubituris onus Auguſtalitatis, dum hoc commodum ante oculos habent.* Auguſtales tamen non erant Magiſtratus, ſed Sacerdotes; ut ex Tacito, & ex vetuſtis Inſcriptionibus liquet: & juriſdictionem in rebus tantum ſacris habebant, non vero in civibus; unde Auguſtales, Magiſtratus dici minime poſſunt. Collegium Pontificum, Romae juriſdictione in ſacris utebatur: in Coloniis vero, aliiſque Urbibus, in quibus erant Auguſtales, penes ipſos erat judicare de iis ſacris, quae ad ipſorum Collegium attinebant. Antiquiſſimum aliud Auguſtalium Sacerdotum monumentum profert ibidem laudatus Noriſius pag. 124. ſcalptum eodem Tiberio imperante, a quo Auguſtales Juliae Genti primum ſacrati fuerunt. Fabrettus *Inſcript. Antiq.* pag. 729. Bulifonium, hujus Puteolani Lapidis, de quo loquimur, editorem, refellit, quod p. 15. ea verba poſtrema,

ma, RESPVBLICA RESTITVIT, de Republica Romana intelligi debere credat, ſcribatque, *Poichè la parola dell' Iſcrizione RESPVBLICA non può in modo veruno di Pozzuolo intenderſi*. Etenim (inquit) adeo late patet hoc *Reipublicae* nomen, ut non tantum de ſumma (Romana ſcilicet R.), quam etiam de inferioribus intellexerit Linguae Latinae parens Cicero lib. 3. *de Legibus*, ita diſtinguens, *Scaurus Conſul utinam*, inquit M. Cicero, *iſto animo atque virtute in ſumma Republica nobiſcum verſari, quam in Municipali, maluiſſet*: faventque ſeptuaginta & amplius Inſcriptiones in Grutero, quae in Oppidulo quovis Rempublicam agnoſcunt. Ad Samum Puteolanam Metropolim inſtauratam marmor pertinuiſſe videtur, quae Urbs Reſpublica dicitur, juxta morem invectum, de quo ſupra. Quoniam vero (ut proſequitur laudatus Fabrettus in eodem Opere) ipſe (Bulifonius) neſcio quam THENIAM in fronte dignioriqne Lapidis loco poſitam putat pag. 25. ſui libelli, & cum THYNIA quadam Inſula juxta oſtium Ponti confundit, quae nil ad terrae motum, quo reliquae hujus baſeos Urbes afflictae fuerunt, pertinere poteſt; ego in marmore ibi abrupto *Par THENIAM* reponendam duco, itaut nomen Metropolis Puteolanae (SAMVM ſcili-

INDICULUS TABULAE II SAECULI I.

cet, quae Urbs eadem vetustiori appellatione Parthenia dicebatur) expressum censeam, hisce Strabonis, & Plinii testimoniis innixus: Ille enim lib.XIV.ait, *Ea* (Samos), *prius Parthenia dicebatur*: Hic lib.V. Histor.cap.31. pariter de Samo loquens, scribit, *Partheniam primum appellatam Aristoteles tradit*. Adstruit hanc cogitationem, quod figura illa muliebris cum puello, cui dextram imponit, eundem tanquam sub ejus tutela natum & adolescentem protegens, Lucinae, idest Junoni, praecipuo Samiorum Numini, convenit, quam unam eamdemque esse putavit Cicero relatus a P. Harduino ad Nummum Patini ΜΗΝΗΣΑΜΙΩΝ, ubi Juno cum Luna ad pedes conspicitur.

87. Nummus Drusi minoris, Tiberii & Agrippinae filii, qui ex uxore Livilla Germanici & Claudii Imp. sorore sumpsit Tiberium ab Imperatore Caligula occisum, aliumque huic gemellum, & Juliam, ut scribunt Tacitus *Annal.* lib. 1. & 4., ac Suetonius in *Tiberio* c. 15. 54. & 62. Legitur in epigraphe, DRVSVS CAESAR TI. AVG. F. DIVI AVG. N. Caput Drusi nudum. Vide Gesnerum Tab. 37. num.33, Mediobarbum pag.72, Patinum pag. 63, Vaillantium *Numis. Imp. Rom.* Tom. 1. pag. 11., & Musellium Tom.1. Tab. XV. num. 3. ac Tom. 3. Tab.XV. item num. 3. pag. 60.

88. ASIAE

88. 90. 92. 94. ASIAE URBES A TIBERIO IMP. RESTITUTAE. Ex Nummis,& ex insigni stylobate Puteolis reperto an. 1693. Cl. Montfauconius To.3. Part. 1. p. 192. hoc Tiberii monimentum ita post Fabrettum illustravit. *Inter pulcherrima monumenta aevo nostro eruta connumerandus est stylobates ille, qui anno 1693. Puteolis prope Neapolim erutus est; cujus longitudo est quinque pedum atque dimidii, latitudo trium & dimidii, altitudo latitudini pene par. Ex duabus longioribus faciebus, altera Inscriptionem magnam habet, in cujus extremis oris sunt duae mulieres sculptae, quarum altera manum imponit capiti pueruli: huic aversa facies sex figuras praefert; duo minora latera tres Statuas singula exhibent. Quaeque figura sub pedibus habet Urbis Asiaticae nomen; sed tum figurae, tum nomina tempore admodum deformata sunt, & hodieque visuntur qualia heic repraesentamus post Antonium Bulifonium Bibliopolam Neapolitanum genere Gallum, qui hujus marmoris brevem accuratamque explicationem dedit Neapoli cusam anno 1694. Certum est heic de Urbibus illis Asiae agi, quae terrae motu prostratae fuere imperante Tiberio, & ab eodem Imperatore restauratae sunt. Non desunt qui putent hunc terrae motum illum esse, qui in D. N. J. CHRISTI*

INDICULUS TABULAE II. SAECULI I.

STI morte accidit : sub eodem certe Imperatore evenit. Jam Chronologi videant, an Chronologicae notae in eundem conveniant terrae motum. Vulgo ponuntur Urbes duodecim dirutae : marmor quatuordecim exhibet, non annumerato puerulo, cui inscriptio suppofita erat, ut & aliis figuris. Inscriptio sic habet : Tiberio Caesari Divi Augusti filio, Divi Julii nepoti, Augusto, Pontifici Maximo, Consuli quartum, Imperatori octavum, Tribunitiae Potestatis XXXII. Augustales Respublica restituit. *Marmorque haud dubie positum est in memoriam restauratarum in Asia Urbium, quae terrae motu prostratae fuerant. Strabo multis in locis hunc terrae motum commemorat : sed Urbes per illum destructas nunquam enumerat: ait solum lib.* 12. *de Magnesia loquens, eam terrae motu obrutam, Principis videlicet Tiberii liberalitate restauratam fuisse ; eumque item ut Sardium Lydiae Metropoleos restauratorem nominat libro decimo tertio, ubi de Sardibus : ait ipse Scriptor, Philadelphiam frequentibus terrae motibus succussam fuisse. Tacitus rem minutatim describit Annal.* 2. *aitque:* eodem anno (DCCLXXX.) duodecim celebres Asiae Urbes conlapsae nocturno motu terrae, quo improvisior, graviorque pestis fuit. Neque solitum in tali casu effugium subve-

veniebat in aperta prorumpendi, quia diductis terris hauriebantur: sedisse immensos montes, visa in arduo quae plana fuerint, effulsisse inter ruinam ignes memorant. Asperrima in Sardianos lues, plurimum in eosdem misericordiae traxit: nam centies sestertium pollicitus est Caesar, & quantum Aerario aut Fisco pendebant, in quinquennium remisit. Magnetes a Sypilo proximi damno, ac remedio habiti. Temnios, Philadelphenos, Aegeatas, Apollonienses, quique Mosceni, aut Macedones Hyrcani vocantur, & Hierocaesaream, Myrinam, Cymen, Tmolum levari idem in tempus tributis, mittique ex Senatu placuit, qui praesentia spectaret, refoveretque. Delectus est M. Aletus e Praetoriis, ne Consulari obtinente Asiam, aemulatio inter pares, & ex eo impedimentum oriretur. *Ephesus, & Cibyra, quae in marmore habentur, apud Tacitum non commemorantur. Eusebii Chronicon tredecim Urbes enumerat*: Tredecim Urbes terrae motu corruerunt, Ephesus, Magnesia, Sardis, Mosthene, (*series heic vitiata, at conspicuum est sic legendum esse*) Aege, Hierocaesarea, Philadelphia, Tmolus, Temnos, Cyme, Myrrhina, Apollonia Dia, Hyrcania: *quatuordecim essent, si Apollonia Dia duae essent Urbes; at liquidum videtur id quod*

INDICULUS TABULAE II. SAECULI I.

quod Eusebius vocat Apollonia Dia, idipsum esse, quod in marmore una voce dicitur Apollonidea. Attamen Nicephorus, qui quatuordecim Urbes commemorat, Diam posuit, non post Apolloniam, sed post Hyrcaniam hoc ordine: quatuordecim Urbes, *inquit ille*, Asiae Minoris prostratae terrae motu sunt, quarum haec nomina, Ephesus, Magnesia, Sardes, Mosthene, Hierocaesarea, Philadelphia, Tmolus, Timus, (lege Temnos) Myrina, Cyme, Apollonia, Hyrcania, Dia, Cibyra: *Diam igitur Urbem facit seorsim positam post Hyrcaniam: Aegen vero non nominat, quae apud Tacitum, & Eusebium, atque in marmore nominatur; sed Cibyram ponit, quae nec apud Tacitum, nec apud Eusebium exstat, sed quae in marmore clare scripta, nec vitiata legitur. Jam ad hujus monumenti schemata, ejusque inscriptiones veniendum. Prima imago mulier est, quae capiti pueri manum imponit: puer ad pedes positas has literas habet THENIA: quod nomen si in labefactato lapide recte legatur, difficultatem certe parit: nam quod hujusmodi nomen est in Asia minori? Putat Bulifonius esse Thyniam Insulam, quae secundum Stephanum Byzantium in Ponti ingressu est, aut secundum Strabonem inter Bithyniam, & Paphlagoniam: illud sane fortasse non placebit; at*

at nihil reperio substituendum. Raphael Fabrettus Inscript. pag. 729. legendum putat PARTHENIA, quae est Samos, hoc olim nomine appellata, quae erat Puteolorum Metropolis. At nemo eorum, qui prostratas Urbes enumerarunt, vel Samum, vel Partheniam commemoravit: ideoque heic sine ulla auctoritate locatur: quae sub muliere est inscriptio, non minus negotii facessit: ex literis plurimae abrasae sunt; quae supersunt autem sic leguntur a Bulifonio ..... EIORON XX. Putat Bulifonius heic indicari COTEIORON Urbem Graecam Sinopensium Coloniam, quam commemorat Xenophon. Vere ille de Urbe loquitur, cui nomen Cotyora, κοτύωρα, deque Incolis, qui apud ipsum nominantur κοτυωρῖται, Cotyoritae. *At praeterquamquod nomina non prorsus conveniunt, haec Urbs ab aliis heic memoratis longius disjuncta videtur, neque apud aliquam ex supra memoratis Scriptoribus inter obrutas terrae motu Urbes connumeratur. Ad haec, si heic Cotyoram ponamus, Sardes non comparebunt, quae tamen Urbium illarum maxima, & damnis affecta majoribus fuerat; quamobrem eidem restaurandae major a Tiberio vis pecuniae insumpta. Fabrettus, qui se a Cardinali Canielmio hujus marmoris delineationem accepisse ait, hanc tabe-*

Tttt *facta-*

factatam vocem in marmore inquit sic exhiberi... EI. RONXX. Hocque modo legit EIERON, malamque, ut putat ille, lectionem in marmore sic positam ab origine, ita restitui vult HIERON XXI. Hieron, inquit, Templum erit secundum Graecae vocis significationem: XXI. numerum denotabit Augustalium, qui ex Tacito in origine sua viginti & unus erant: sed haec velut casu dicta videntur: in adeo labefactatis hujusmodi Inscriptionibus nunquam sine periculo divinatur. Libentius crederem, hanc Urbem Sardes esse, quae cum Magnesia primae positae fuerint, utpote majores, majorique detrimento affectae: forte Sardium nomen primum in abrasis literis erat, & superstites literae aliud efferebant, quod divinare non possumus. Quae supersunt omnia a Bulifonio recte explicata existimo: ab alio Inscriptionis majoris latere mulieri supposita inscriptio, cujus duae postremae solum literae supersunt..... IA. Magnesia erat. Philadelphia in altero ex minoribus lateribus est, ejusque nomen sanum Philadelphea. *Tmolus, aut Timolus mons, viri speciem praefert, & ad latus habet vitem arboris more uvis onustam. Hic inter restauratas Urbes ponitur, quia, cum admodum cultus fertilisque esset secundum Scriptorum testimonia, in eo haud dubie habitacula, aedificiaque erant terrae mo-*

tu

tu prostrata , posteaque ab Imperatore restituta . Cyme mulieris forma exhibita nomine gaudet sano . Temnos etiam mulieris speciem praefert , baculum tenentis . Cibyra galeata est , hastamque tenet ut Minerva , quae hasta utrinque ferro , acieque munitur . Myrina canistrum tenet . Ephesus ramum , unde poma duo erumpunt , aut fortasse duo papavera : ea coronata est , ex ejusque corona quasi flammae exeunt : pone illam stylobates est , cui imposita Diana Ephesia . Apollonia , quae sequitur , ea ipsa est , ut putatur , quae prope Thyatiram in Phrygia sita erat : in marmore Apollonidea vocatur , & apud Eusebium Apollonia Dia , cujus denominationis causam non novi . Prope est Hyrcania : eratque nomen Agri , Urbisque , in quam Persae Coloniam ex Hyrcania transtulerant . Urbibus ea supra memoratis vicina erat . Nescio quare Tacitus ejus Incolas vocet Macedonas Hyrcanos : in Lydia erat Urbs , atque Ager : Hyrcanus *campus in Lydia , inquit Stephanus Bizantius . Mosthene sequens , Urbs Lydia item erat : haec manu nescio quid tenet . Aege Urbs Aeoliae designatur item muliere , baculum altera , & nescio quid altera manu tenente : ea muris, pinnisque coronatur, ut mulieres aliae , quae Orientalium Urbium symbola sunt . Inscriptio labefactata ultimam literam*

INDICULUS TABULAE II SAECULI I.

E retinet, nec dubium quin sit Aege. Hierocaesarea ultima omnium, mulier est muro similiter coronata. Vide *Chronicum* ad annum Aerae Chr. Vulg. 16. pag. 41.

89. Nummus Drusi majoris, fratris Tiberii, qui Rector fuit Romani Exercitus in Germania, Provinciamque majori ex parte domuit. De eo multa jam scripsimus num. 69. 70. & 71., quae huncNummum illustrant. Legitur in epigraphe, NERO. CLAVDIVS. DRVSVS. GERMANICVS. IMP. *Caput Drusi sine laurea.* Vide Vaillantium *Numis. Imp. Rom.* Tom. 1. pag. 12., & Theupolum *Mus. Antiq. Numis.* Tom. 1. pag. 127.

90. Vide numeros 86., & 88.

91. Nummus Antoniae minoris, M. Antonii & Octaviae majoris filiae, Drusi majoris uxoris, cum epigraphe ANTONIA AVGVSTA. *Caput Antoniae.* Vide Angelonum pag. 42, Museum Arschotanum Tab. 18. num. 24, Begerum Vol. 2. pag. 614, Gesnerum Tab. 35. num. 4, Vaillantium *Numis. Imp. Rom.* Tom. 1. pag. 14, Mediobarbum pag. 60., & Museum Musellianum Tom. 1. Tab. XI. num. 6. ac Tom. 3. pag. 56. Tab. XI. num. 6. Item quae nos supra adnotavimus num. 83. 84. & 85.

92. Vide numeros 86. & 88.

93. Nummus Germanici, patris Caji Caligu-

ligulae, cum epigraphe GERMANICVS CAES. P. C. CAES. AVG. GERM. *Caput Germanici nudum*. Vide Gesnerum Tab. 38. num. 20., Harduinum pag. 715., Mediobarbum pag. 74., Patinum pag. 65., Vaillantium *Numism. Imp. Rom.* Tom. 2. pag. 47., Theupolum *Mus. Antiq. Numismat.* Tom. 1. pag. 128., & Museum Musellianum Tom. 1. Tab. XVI. num. 1. ac Tom. 3. pag. 61.

94. Vide numeros 86. & 88.

95. Nummus Agrippinae, M. Agrippae & Juliae filiae, Germanici uxoris, matris Caji cognomento Caligulae, cum epigraphe AGRIPPINA MAT. C. CAES. AVG. GERM. *Caput Agrippinae*. Vaillantius *Numism. Imp. Rom.* Tom. 2. pag. 48. scribit: *Caligula in matrem pius, ejus memoriam in Nummis restituit, cujus cineres, mox quum Imperium adeptus esset, ex Pandataria confestim retulit, ad quam venerabundus properavit, tempestate turbida, quo magis pietas emineret.* Vide Theupolum *Mus. Antiq. Numismat.* Tom. 1. pag. 128.

96. Nummus Tiberii, cum epigraphe CIVITATIBVS ASIAE RESTITVTIS. Tiberius sellae insidens, cum patera, & hasta. Vide Angelonum pag. 33., Museum Arschotanum Tab. 17. num. 12, Begerum Vol. 2. pag. 611. num. 23.

INDICULUS TABULAE II. SAECULI I.

num. 23, Goltzium Tom. 2. Tab. 9. num. 11, Harduinum pag. 708., Mediobarbum pag. 65, Vaillantium *de Praestantioribus Numismatibus Imperatorum Rom.* Tom. 1. pag. 10, Theupolum *Mus. Antiq. Numismat.* Tom. 1. pag. 389. & Musellium Tom. 1. Tab. 12. num. 6. ac Tom. 3. pag. 57. Tab. 12. numero item 6. Bellorius *in Adnotationibus in XII. priorum Caesarum Numismata* pag. 27. num. 23. Tiberii (inquit) simulacrum in subsellio, cum hasta, & patera, sedentem Vestam esse Occo arbitratus est; sed ex laurea, vultu, habitu perspicue Imperator designatur, idque omnes consentiunt. De terrae motu Asiatico, qui Urbes disjecit, Plinius, Strabo, & Vellejus, loquuntur, & Tiberii munificentiam laudant CIVITATIBVS ASIAE RESTITVTIS. Erizzus anno octavo Principatus Tiberii hunc terraemotum accidisse colligit; Occo anno decimo octavo, quo Christus passus est. Sed (prosequitur idem Bellorius) Nummus signatus est Tribunitia Tiberii potestate XXI, hoc est anno ejus Imperii quarto post excessum Augusti. Passus vero est Christus Servator noster anno Imperii decimo octavo. Falluntur itaque cum Orosio, qui credunt, hunc terraemotum incidisse in tempus Passionis: nam totis XIV. annis posterius evenit.

Fal-

Fallitur tamen & ipſe Bellorius. Nam in antica hujus Nummi parte habetur Tribunicia Poteſtas Tiberii XXIV. Et Conſulibus Flacco & Rufo Anno Aarae Ch. Vulg. 16. noćturno motu terrae XII. Aſiae Urbes collapſae ſunt, in quem annum cadit XIX. Tribunicia Poteſtas Tiberii, teſte Vellejo Paterculo. Hic enim, ut obſervat idem Doćtiſſimus Fabrettus Inſcript. cap.X.pag.730. ceteris rerum Romanarum Hiſtoricis apertius loquens, annum Tribuniciae Poteſtatis ſextae, prorogatae Tiberio poſt ejus reditum a Rhodiano receſſu, poſtque adoptionem, V. Kal. Julii fuiſſe tradit, Cato & Sentio Conſulibus (nempe anno Aerae Chriſti Vulgaris 3.) Procedendo igitur ab hac Tribunicia Poteſtate XIX., ad XXXII. marmoris Puteolani, de quo egimus in hoc Indiculo num. 86, conſtat, Tribuniciam Poteſtatem XXXII. a die V. Kal. Julii Conſulatu Vinicii & Longini coeptam, bene jungi cum Tribunicia Poteſtate XXXVIII., & Conſulatu Proculi & Nigrini, ſub quo Tiberius, ea non completa, die 17. Kal. Aprilis mortuus eſt, nempe anno Aerae Chr. Vulg. 36.

97.) Nummus a Claudio percuſſus in ho-
98.) norem Germanici, Druſi majoris & Antoniae minoris filii, Conjugis Agrippinae, & Caji Caeſaris Patris. Hic a Tiberio Caeſa-

re

INDICULUS TABULAE II SAECULI I.

re patruo, Augusti jussu, fuit adoptatus, testibus Suetonio (*in Tiberio* cap. 15.), & Justiniano Imp. (*Instit.* lib. 1. Titul. XI.). Legitur in postica, TI. CLAVDIVS. CAESAR. AVG. GERM. P. M. TR. P. IMP. P. P., & in medio Nummo S. C. In antica vero, GERMANICVS. CAES. TI. AVGVST. F. DIVI. AVG. N. Caput Germanici sine laurea. Suetonius *in Caligula* cap. 3. non solum animi dotibus, sed etiam corporis Germanicum insignem praedicat. *Omnes* (inquit) *Germanico CORPORIS, animique VIRTVTES, & quantas nemini cuique contigisse satis constat. FORMAM, & fortitudinem EGREGIAM, ingenium in utroque eloquentiae, doctrinaeque genere praecellens, benevolentiam singularem, conciliandaeque hominum gratiae, ac promerendi amoris mirum & efficax studium. FORMAE minus congruebat GRACILITAS CRVRVM, sed ea quoque paullatim repleta, assidua equi vectatione post cibum*: ac deinde per multa capita eum summis laudibus; cumulat ex quibus liquet, quam justa fuerit ea acclamatio popularis ibidem ab eodem Suetonio relata cap. 6., *Salva Roma, salva Patria, salvus est Germanicus.* Et qui illum cum Alexandro Magno contulerunt, de ejus formae nobilitate ita sunt loquuti: *Erant*, inquit Tacitus *An-*

Annal. lib. 2. cap. 73. *qui FORMAM, aetatem, genus mortis, ob propinquitatem, etiam locorum, in quibus interiit, Magni Alexandri fatis adaequarent: nam utrumque* CORPORE DECORO, *genere insigni*. Vide Nummum, de quo loquor, apud Begerum Vol. 2. p. 615., Gesnerum Tab. 38. num. 1. 8., Mediobarbum pag. 74., Numophilacium *Reginae Sueciae* Tab. 48. num. 35., Vaillantium *Numis. Imp. Rom.* Tom. 1. pag. 15., Theupolum Tom. 1. pag. 397., & Musellium Tom. 1. Tab. 15. num. 8. ac Tom. 3. pag. 61.

99. Nummus Germanici, cum epigraphe GERMANICVS CAESAR; qui triumphat in quadrigis. Percussus fuit in honorem ejusdem Germanici, per adoptionem in Familiam Juliam adsciti anno U. C. 756. V. Kal. Julias, eodem tempore, quo, ut scribunt Dio, Suetonius, Paterculus, & Tillemontius, etiam Augustus adoptavit Tiberium. Anno U. C. 769. (Aerae Chr. Vulg. 16.) VII. Kalendas Junii Romae triumphavit de Arminio, de Cheruscis & Gattis, de Angrivariis & aliis Gentibus, quae Albin colunt, ut ex Tacito, & Suetonio, qui rem pulchre describunt. Eorum testimonia affert Pighius. Anno praecedenti decretus jam fuerat iste Triumphus. Tacitus lib. 1. cap. 55. *Druso Caesare* (inquit) *C. Nor-*

INDICULUS TABULAE II SAECULI I.

bano Consulibus, decernitur Germanico Triumphus. Vide *Chron.* ad hunc annum, pag. 41. Promeritum Triumphum noster Nummus exhibet, in cujus postica legitur SIGNIS RECEPT. DEVICTIS GERM. Idem Tacitus lib. 2. *Annalium* sub Consulibus hujus anni U.C. 769. scribit, *Fine anni Arcus propter Aedem Saturni OB RECEPTA SIGNA, cum Varo amissa, DUCTU GERMANICI.* Extat hic Nummus quem illustramus apud Angelon. p. 33. Museum Arschotanum Tab. 18. num. 14., Begerum Vol. 2. p. 615., Gesnerum Tab. 38. nu. 19., Harduinum p. 715., Mediobarbum p. 73., Patinum pag. 64., Thesaurum *Reginae Sueciae* Tab. 48. num. 40., Theupolum To. 1. p. 397., & Musellium To. 1. Tab. XV. num. 5. ac Tom. 3. pag. 61.

100. Protome Tiberii, ex marmore Capitolino. Fuit ex gente Claudia Romae nobili, Tiberii Neronis & Liviae Drusillae filius. Ab Augusto adoptatus, Imperium post eundem consequutus est anno Aerae Christi Vulg. 13. Corporis celsitudine pollebat, ac robore. *Juvenis,* (ait Paterculus lib. 2. cap. 94.) *genere, forma, celsitudine corporis, optimis studiis, maximoque ingenio instructissimus.* Et Suetonius in ejus Vita cap. 68. scribit, *corpore fuit amplo, atque robusto: statura, quae justum excederet: latus ab humeris, & pectore: ceteris vero*

vero membris usque ad imos pedes aequalis, & congruens &c. colore erat candido, capillo pone occipitium submissiore, ut cervicem etiam obtegeret, facie honesta, cum praegrandibus oculis: incedebat cervice rigida, & obstipa, (immota videlicet, rigidaque). Julianus Imperator in Caesaribus pag. 309, *tertius* (inquit) *ipsis accessit Tiberius, aspectu gravis, & trux, prudentiam simul, & virtutem militarem praeferens*. Hoc marmor Capitolinum Tiberium juvenem repraesentat, ut scite adnotavit Doctissimus Praesul Bottarius Tom.2. *Musei Capitolini* pag. 10.

101.) Nummus a Senatu percussus *memo-*
102.) *riae Agrippinae* Senioris, M. Agrippae filiae ex illa Julia, quae primum nupsit C. Marcello, deinde M. Agrippae, ac tandem Tiberio. Genuit Cajum cognomento Caligulam, Drusum, & Neronem (hos duos occidit Tiberius), feminas autem Liviam, Drusillam, & Agrippinam uxorem Claudii, & matrem Neronis Imperatoris. Quapropter Germanicus Caesar conjux Agrippinae (de qua his numeris 101., & 102. loquimur), morti proximus dixit, teste Tacito *Annal.* lib. 2. cap. 71.: *Ostendite Populo Romano D. Augusti neptem, eandemque conjugem meam: numerate sex liberos*: qui affirmat(*Annal.*lib.1.cap.33.)

 eam

eam fuisse aliquantulum iracundam, ac multas cum Livia Augusti uxore simultates egisse; sed naturae vitium virtutis ratione temperasse: *accedebant muliebres offensiones novercalibus Liviae in Agrippinam stimulis: atque ipsa Agrippina paullo commotior; nisi quod castitate, & mariti amore (quamvis indomitum) animum in bonum vertebat*. Vide Museum Capitolinum Tom. 2. pag. 13. in quo exhibetur ex solido marmore, illustraturque Agrippinae protome, scalpta ab insigni Artifice. Nummus, quem heic damus, inscribitur in antica, AGRIPPINA *Marci Filia* MAT*er Caji* CAESARIS AVGVSTI. Caput Agrippinae. Vide Angelon. p. 34., Museum Arschotanum Tab. 18. nu. 17., Begerum Vol. 2. p. 616., Harduinum p. 715., Mediobarbum p. 75., Thesaurum *Reginae Sueciae* Tab. 4. nu. 1., Vaillantium To. 1. *Numism. Rom. Imp.* pag. 16. & Tom. 3. pag. 107., Theupolum To. 1. pag. 398., & Musellium To. 1. Tab. XVI. num. 2. ac Tom. 3. pag. 61. In postica visitur Carpentum a mulis vectum, cum epigraphe MEMORIAE AGRIPPINAE. Vaillantius in illustratione *Numism.* de Camps pag. 7. *Cajus*, inquit, *Germanici & Agrippinae Senioris filius, ut Imperium occupavit, in parentes pius visus est: in memoriam patris Septembrem mensem Germanicum appellavit, matri Circenses,*

Car-

Carpentumque, quo in pompa traduceretur, instituit; in cujus memoriam Senatus Nummum primae magnitudinis percussit, in quo illud a mulis trahitur, sed cum corona quercea, Caligulae concessa tanquam Cives servasset, & in illius Nummis Senatus jussu signata: quae cum etiam in matre occurrat, nemo non videt, id monetarii, qui ectypum alterius pro altero accepit, errore factum: quandoque enim typi Nummis, in quibus reperiuntur, minime conveniunt, utpote ab historiae monumentis alieni. Haec Vaillantius; qui, quoniam de Carpento pauca scribit, nonnulla scitu digna heic placet attexere. Tacitus *Annalium* lib. 12. inquit: *Suum quoque fastigium Agrippina extollere altius: Carpento Capitolium ingredi: qui mos Sacerdotibus, & sacris antiquitus concessus, venerationem augebat Feminae.* Ubi per *Sacerdotes* non tam Virgines Vestales, quod facit Lipsius *de Vest.* cap. 11., quam revera Sacerdotes viros, praesertim Flamines, heic existimo intelligendos. Quos cum alias Carpentis vectos arbitror, tum praesertim, cum in Capitolium deducerent Sacra, nemini conspicienda. Hoc enim fieri optime in Carpentis, tectis scilicet superne, poterat. Postea translatum est ad pompam Circensem. Primo, ut imagines defunctarum Augustarum eis veheren-

herentur, quae ideo Isidorus lib. 20. cap. 12. appellavit *pompatica*. Hoc enim peculiare habebant Augustae, quod ipsarum imagines veherentur Carpentis, cum Augustorum veherentur curribus. Suetonius in *Caligula* cap. 15. *instituit MATRI CIRCENSES, CARPENTUMQUE, quo in pompa traduceretur*. Secundo, ut ipsae vivae una cum Magistratibus in pompa Carpentis incederent, quod datum primo Messalinae, & mox Agrippinae. Vide Scheffer. *de Vehic*. 1. 17., Ligorium item *de Vehiculo* cap. 1., Pancirolum *de Corp. Artif.* cap. 20., Salmasium in Lampridium, Panvinium meum *de Ludis Circensibus*, Gutherum *de Offic. Dom. Aug.*, & Pitiscum *in Lexico Antiquario*.

103. Nummus Agrippinae a Cajo Caligula percussus, cum epigraphe in postica S.P.Q.R. P.P. OB.CIVES SERVATOS. *Corona Civica*. Vide Vaillantium *Numis. Imp. Rom.* Tom. 3. pag. 107., item Museum Abbatis De Camps, nunc Regium Parisiense, ab eodem Vaillantio illustratum pag. 7., Bellorium pag. 29. num. 2., Gesnerum Tab. 40. num. 3., Mediobarbum pag. 78., Museum Musellianum To. 1. Tab. 17. num. 4. ac To. 3. p. 63., demum ea, quae nos scripsimus supra num. 95. 101. & 102.

104. Inscriptio Germanici Caesaris, ex Mu-

Museo Albano. *Hujus excellentis Viri* (inquit Cl. Bottarius Tom. 2. Musei Capitolini pag. 12.) *imago cernitur in Nummis, quamvis ipsi rarissimi sint, vel quod brevi tempore vixerit (annis videlicet 34.), vel quod ejus memoria Tiberio fuerit invisa. Ceterum & omnes meruit honores, & iis largissime cumulatus fuit, ut credibile videatur, etiam* Statuarum *honore donatum fuisse. Etenim Consulatum gessit antequam etiam per leges liceret, & postea iterum Consul renunciatus fuit: Legiones compescuit, quae illi Imperium deferre pertinacissime volebant: Armeniae Regem devicit: Triumphum promeritus est.* Aediculam a C. Julio Chimaro Germanico Caesari votam, aedificatamque cum Statuis, & sedibus marmoreis, tandem discimus ex hoc lapide: atque etiam, ni fallor, ex alio apud Gruterum pag. 236. num. 3., qui pariter aliam Aedem Germanico sacratam docet,

GERMANICO
CAESARI. TI. F
AVGVSTI. N
DIVI. PRON
COS.
L. TVRELLIVS
L. F. GEMINVS
AED. D. S. P

Qua-

Quare S. P. Q. R. Germanicum vita functum Diis Tutelaribus annumeraſſe mihi pro certo eſt. De Statutis, & ſedibus marmoreis poſitis in Templis, Aedibus, & Aediculis Deorum, Dearum, atque Divorum, quamplures Inſcriptiones loquuntur in Collectionibus Gruteri, Reineſii, Sponii, Fabretti, Muratorii, & Maffeji.

105. Inſcriptio Tiberii, de qua V. Cl. Scipio Marchio Maffejus in *Muſeo Veron.* p. 95. hæc habet: *Tiberium Caeſarem Augurem, Quindecemvirum, & Septemvirum fuiſſe nulla hactenus Inſcriptio docuerat. Quaenam Civitas Voturiae Tribui adſignata, Tiberio pro ludis, aut conceſſis, aut propria impenſa exhibitis, hoc monumento Romae reperto & Imperatoris titulis omnibus inſignito, gratias egerit, ignoramus.* Alterius L. Scribonii habetur mentio in fragmento Magiſtratuum A. U. C. 720. apud Gruterum pag. 299. num. 1. vide etiam pag. 1145. *Celer*, cognomen eſt pluribus familiis vulgare, a celeritatis officio, vel ab equitibus, vel, ut Valerius Antias prodidit, a Fabio Celere primo eorum Praefecto. Vide Vaillantium *de Coloniis* To. 1. p. 57. & 101. Metello *Celeri* nomen datum, quod funebres LUDOS, & viſcerationem ſine mora exſolvendos curavit. Plutarchus *in Romulo*, p. 23., & *C. Alex.* Gen. Dicr. 1. 9. Aedilatus,

latus, seu Aedilis dignitas, in quibusdam Civitatibus, aliter ac Romae, tanquam summum munus. Quandoque tamen erat gradus ad Curiam. Adeo (inquit Pitiscus in Lexico verbo *Aedilatus*) alicubi Aediles non modo summum locum non obtinebant, sed infra Decuriones habebantur, nisi testimonio decipior veteris J. C. municipalis apud Gruterum pag. 408. num. 1. *Absque censu per Aedilitatis gradum in Curiam nostram admitterentur*. Non decipitur Pitiscus. Extat Romae in S. Maria in Via Lata, e regione S. Marcelli, Urnula, in qua legitur,

CN. SERGIO. CN. F. VOT
PRISCO. FILIO. SVO
PRAETORI
SACRIS. VOLCANI. EX. D. D
AEDILI. ADLECTO

Vide Gruterum *Inscript.* pag. 318. 7.

106. Epitaphium Agrippinae, de qua supra num. 95. 101. 102. & 103. Extat Romae in area Capitolii, & apud Gruterum pag. 237. num. 4. Mendose refertur a Patino *Imp. Numis.* p. 68.

107. VESTIGIA DOMUS TIBERIANAE. Orthographia, & conspectus interior amplissimae Basilicae in Palatio Caesarum Augustorum detectae anno 1724. intra hor-

INDICULUS TABULAE II. SAECULI I.

tos Farnesianos Palatini Collis, qua parte superſunt veſtigia Domus Tiberianae, quae ab Occidente aeſtivo contingunt Comitum Spadarum Viridarium, nec non Theatrum Tauri Statilii. Tiberius, & Caligula, qui proxime Auguſto ſucceſſerunt, Aedibus Auguſteis Occidentalem hanc Palatii partem addiderunt, per totum Collem expanſam, (quae in hortis Farneſianis remanet), aequali auctam ſpatio, & Romano Foro conterminam. Ab ipſis nempe, quod Collis erat reliquum, ſua Aedificatione occupatum eſt. Tiberii tamen Patris Aedificia, nondum ad finem perducta, Cajus filius perfecit: *Opera ſub Tiberio ſemiperfecta abſolvit*, ſcribit Suetonius in Caligula cap.21. Ad iconiſmum noſtrum illuſtrandum ſuffecerit heic ſtatuere cum Franciſco Blanchino Patruo meo amantiſſimo (in libro, cui fecit titulum *Del Palazzo de' Ceſari*, quemque ego, una cum Latina verſione, Veronae edendum curavi anno 1738. ſub auſpiciis Chriſtianiſſimi Regis Ludovici XV.), eam Regiae Caeſarum partem, quae Tiberium, atque Caligulam auctores habuit, ideoque appellata eſt *Domus Tiberiana*, ſitam fuiſſe in Palatini Collis Occidentali regione, & Capitolio obverſam. Id ex eodem Suetonio liquet: ſcribit enim, dum Vitellii milites

Jo-

Jovis Capitolini templum concremarent, dimicarentque in Capitolio adversus Flavium Sabinum Vespasiani fratrem, ejusque asseclas eo compulsos, ipsum Vitellium mensae assidentem, e Tiberiana Domo pugnam, incendiumque prospexisse: *cum & praelium, & incendium e Tiberiana prospiceret Domo inter epulas*, inquit Suetonius in Vitellio cap. 15. Perspicuum igitur est, quemadmodum Hortis Spadanis ad Orientem contermini erant duo Augustanae Domus quadrantes; ita ad Occidentem extitisse duos Tiberii, & Caligulae, Augusteis respondentes, quos Domitianus postmodum instauravit. Pares erant mensurae utriusque extensionis, ac murorum positio in eadem linea, cui insistebant. Legimus item, Othonem iratum Galbae ob adoptionem Pisonis, quam sibi ipsi destinatam existimaverat, ejus vitae insidias parasse, conjuratisque jussisse, ut se opperirentur in Foro sub Templo Saturni ad milliarium aureum, idest ubi nunc Nosocomium, *Consolationis* dictum; ut, ob inventam inibi Columnam Milliariam, Antiquarii consentiunt: atque Suetonius ait, (haec narrans in Othonis Vita cap. 6.), prius Othonem sacris interfuisse, quae mane Galba in Palatio fecit; cum vero signum a Liberto datum fuisset, in quod condixerant (ut

cum conjuratis coiret, qui destinato loco illum morabantur), prodiisse Othonem *postica parte Palatii*, qua ad Milliarium Aureum sub Templum Saturni continuo accederet. Taciti verba hoc ipsum Othonis iter e Regia exeuntis veluti digito nobis designant: *per Tiberianam* (inquit) *Domum in Velabrum, inde ad Milliarium Aureum sub Aedem Saturni pergit*. Quare heic quoque satis indicii superest, ut innotescat Occidentalis Domus partis (additae a Tiberio, & Caligula) responsus ad illam Orientalem, quam Augustus aedificaverat. Januam namque habebat Tiberiana Domus, quae ab Occidentis latere Capitolium spectabat,&unde patebat secreta via, exAugustorum Aedibus in Velabrum declivis, ut ex Suetonio ostendimus in Vita Othonis. Vide laboriosissimum Patrui mei Opus per totum,& praesertim p.165. & 211.,ubi ipse loquitur de parietibus, eorumque positionibus in parte a Tiberio aedificata,ac deOrthographia & conspectu Basilicae expressae in ichonismo.

108. CASTRA PRAETORIA A TIBERIO EXTRUCTA monitu, ambituque Aelii Sejani, Cohortibus Praetorii Praefecti. De eo Tacitus *Annalium* lib. 4. *Vim Praefecturae modicam antea intendit, dispersas per Urbem cohortes una in Castra conducendo, ut simul im-*

imperia acciperent, numeroque, & robore, & visu inter se, fiducia ipsis, in ceteros metus crederetur. Praetendebat lascivire militem deductum: si quid subitum ingruat, majore auxilio pariter subveniri, & severius acturos, si vallum statuatur procul Urbis illecebris. Schol. Juvenalis Sat. X. *Juxta aggerem* (inquit) *primus Castra posuit Sejanus .... quae dicta sunt Castra Praetoria.* Excursus muri quadratus hodieque vestigium eorum nobis exhibet certissimum, nempe a Porta Viminali, nunc *Pia*, ad Portam Querquetulanam, nunc *Porta Chiusa*. Vide quae diximus in nostro Libro *delle Porte, e Mura di Roma* pag. 19. & sequentibus usque ad p. 26., in qua æri visuntur incisa rudera Castrorum Praetorianorum, de quibus loquimur. Erant quadrata more veteri: muris, propugnaculis, turribusque munita: instructa Templo, armamentario, balneis, & fontibus. Formam indicant moenia. Turrium meminit Herodianus lib. II. cap. 5., *Custodias pro turribus constituentes*: Moenium & turrium, Tacitus Hist. lib. 3. cap. 84., *multi semianimes super turres, & propugnacula expiravere*: Templi, in quo signa, ac simulacra exercitus adorabantur, Herodianus lib. 4. cap. 4., *Templum in quo signa, & imagines exercitus adorantur*:

INDICULUS TABULAE II. SAECULI I.

tur: Suggestus, e quo Imperator verba faciebat ad milites, & Sacramentum ab illis accipiebat, Tacitus Histor. lib.1. cap. 36., *in suggestu, in quo paullo ante aurea Galbae Statua fuerat, medium inter signa Othonem vexillis circumdarent*: Armamentarii Castrensis, Tacitus Hist.lib.1.c.38., *aperire arma mentarium jussit, rapta statim arma sine more, & ordine militiae*: Balnearum ad usum militum, Herodianus lib.4. cap.4.13., *quorum alii in balneis lavabant, alii quiescebant*. Rivorum denique aquarum, tubi plumbei atque figlinae, prope Portam Clausam in aggerendo solo repertae,

Ex tubis plumbeis

I. L. IVN. CLARO. ET. AVR. SEVERO. COS. CASTRVM. PRAETORIVM. P. LXX.

II. CLARO. ET. SEVERO. COS. QVADRAT. SER. FEC. CASTRVM. PRAETOR. P. CC.

III. T. VESPAS. AVG. VII. FLAV. DOMIT. VI. COS. Q. CLAVD. SER. OFF. FEC. CASTR. PRAET.

IV. Q. AQVILLIO. SABINO. II. SEX AVR. ANVLLINO. COS. CASTR. PRAEF. L. VRVAS. OFF. PED. CCCLXXXIII. AQVA. MARC.

I. Ex Figlina, CASTRVM. PRAETORIVM. EX. PR. VINI. QVAD. ET. ANT. OP. EX. FIG. SEX. AT. SILV. F. VI.

II. Ex alia Figlina, CASTR. PRAET. L. SILVINI, HELPIDIANI. He-

Herodianus lib.7. quatuor priores Inscriptiones mirifice illustrat: *Postremo* (inquit) *quando Castrorum oppugnatio parum procedebat, visum Ducibus intervertere omnes rivos, qui in Castra pervenirent; ut milites aquarum penuria sitique conficerent. Igitur abscindendo, obstruendoque, cunctos e Castris aquarum rivos avertebant. Sed intellecto periculo milites, ac rebus desperatis, erumpunt universi patentibus Portis, congressique multitudinem fugientem, in Urbem usque prosequuntur.* Et Julius Capitolinus, *Inter haec Romae iterum seditiones inter populum, & milites exortae sunt: & quum mille Edicta Balbinus proponeret, nec audiretur, veterani se in Castra Praetoria contulerunt cum ipsis Praetorianis, quos coepit populus obsidere: nec unquam ad amicitiam essent redacti, nisi fistulas aquarias populus incidisset.* Ab Aureliano, cum moenia proferret, Castra iis fuerunt annexa, & conjuncta. Vide Donatum *de Urbe Roma* lib.1. cap.15., Nardinum *Rom. Vet.* lib.4. cap. 4., Borrichium *Antiq. Urb. faciei* cap.1. §.5. cap.7. §.6., & Lipsium.

109. Nummus Tiberii, cum epigraphe IMP. VII. TR. POT. XVII. In area *Quadriga triumphalis*. Triumphus Tiberii de Illyricis, Pannonis, Dalmatis, & Germanis actus

INDICULUS TABULAE II. SAECULI I.

actus est anno 764., cum ille accepisset TR. P.XIIII.: quam ob causam vidimus supra, fuisse percussos Augusto Nummos cum typo Tiberiani Triumphi. Sed, mortuo Augusto, iidem typi cum effigie Tiberii renovati sunt. Ideo in hoc Nummo legitur TR. P. XVII., suscepta (anno Aerae Chr. Vulg. 14.) quinto Kalend. Julii anni U. C. 767. Vide Vaillantium *Numis. Imp. Rom.* Tom. 2. pag. 40., & Theupolum *Mus. Antiq. Numis.* Tomo 1. pag. 127.

110. Caput. Milloniae Caesoniae, Pomponii Orphiti & Vestiliae filiae, quae a caeso Matris utero cognomentum consequuta est, ut scribit Plinius Historiarum lib. VII. Caji Caligulae quarta uxor fuit, quae antea ab eodem compressa, ac postmodum in matrimonium ducta, sicut ipse dicere consueverat, intra XXX. dierum spatium filium illi peperit, quemadmodum Dio lib. LV. *in Annalibus* scriptum reliquit. Ita a marito adamabatur, ut vel eam secum duceret saepius in Castra, quae (ut scribit Aeneas Vicus Parmensis *in serie Augustarum* pag. 121.) chlamide induta, peltataque more Amazonum, & galeata conspecta fuit in militum conspectum procedere; juxta quam ipse Caesar equitare consueverat, ut literarum monumentis tra-

traditum eſt a Suetonio. Exiſtimabatur haec poculum amatorium Caeſari dediſſe, ut illius animus in ſui amorem facile converteretur; illumque veneficiis ad ſuum ipſius nutum compuliſſe creditur. Praeter reliqua inſani hominis facinora, Cajus etiam ſui ipſius Numinis hanc, una cum ceteris, Sacerdotem elegit. Statim vero atque C. Caeſar fuit interemptus, haec etiam Caſſii Chereae juſſu a Lupo Centurione (dum juxta mariti cadaver ſanguine conſperſa illius calamitatem defleret) occiſa fuit; quoniam accuſabatur, quod ipſius impulſu Caeſar tot caedes in Civitate perpetraſſet: quanquam non deſunt, qui hanc illum adhortatam fuiſſe potius dicant, ut ab ea ſaevitia abſtineret, ne Civium animos ad ſe interficiendum compelleret, atque humanitate potius, & prudentia res publicas adminiſtraret. Nec defuerunt etiam, qui dicant, eam conjurationem percepiſſe, illumque admonuiſſe, non eſſe cunctandum, quin conjuratos aliquo beneficio ſibi devinciret, ac reconciliaret; cujus rei teſtis eſt Joſephus *Antiquitatum* libro decimo nono.

111. Nummus Caji Caligulae, cum epigraphe in antica C. CAESAR AVG. PONT. MAX. TR. POT. III. COS. III. In poſtica vero, S. P. Q. R. P. P. OB. C. S. *Corona*

 Civi-

INDICULUS TABULAE II SAECULI I.

Civica. Vaillantius *Numis. Imp. Rom.* Tom. 2. pag. 49. *Corona quercea* (inquit) *ob servatos in bello cives concedebatur*; *sed, quum nullum bellum gesserit Caligula, in quo ille Cives servaverit, adulationis causa id in Nummis adpositum est a principibus, ut viderentur a clementiae laude & paternae curae Imperium auspicari; ut alii deinceps Imperatores observarunt*. Verum, ut observat Doctissimus Bellorius in *Adnot. in XII. Caesares* pag. 29. num. 2. *Haec corona primum non in adulationem, sed in spem optimi Principis, mortuo Tiberio, dicata fuit Cajo, ad exemplar Augusti a S.P.Q.R. Suetonius*, „ Sic Imperium adeptus, P. R., vel, ut ita dicam, hominum genus voti compotem fecit exoptatissimus Princeps„. *Repetita est postea in adulationem in sui III. Consulatu, & Tribunitia Potestate III. quando per antiphrasim verius fuit dicere, OB. CIVES. SUBLATOS*. Vide Gesnerum Tab. XL. num. 3., Mediobarbum pag. 78.; Musellium Tom. 1. Tab. 17. num. 4. ac Tom. 3. p. 63., & *Chronicum* ad annum Aerae Ch. Vul. 37. pag. 92.

112. Protome Caji cognomento Caligulae (quod in exercitu caligis militaribus uteretur), Germanici & Agrippinae filii. Adoptatus a Tiberio, imperare coepit post ejus mortem, quae contigit 17. Kal. Aprilis anno

Aerae

Aerae Christi Vulg. 36. ut in *Chronico* pag. 86. En quibus hunc saevissimum Imperatorem coloribus ad vivum pingat Suetonius in ejus Vita cap. 50. *Statura fuit eminenti, pallido colore, corpore enormi, gracilitate maxima cervicis & crurum, & oculis & temporibus concavis: fronte lata, & torva, capillo raro, ac circa verticem nullo: hirsutus cetera. Quare, transeunte eo, prospicere e superiore parte, aut omnino quacumque de causa capram nominare, criminosum, & exitiale habebatur. Vultum vero, natura horridum & tetrum, etiam ex industria efferebat, componens ad supercilium in omnem terrorem, & formidinem.* Talis est oppido haec Protome, ex marmore Musei Capitolini delineata, quam dum scalptor effingeret, (ut scribit Doctissimus Bottarius Tom. 2. ejusdem Musei, pag. 13.) videtur ad hanc descriptionem respexisse; vel Suetonium ob oculos hoc marmor, dum illa scriberet, habuisse. Tanta similitudo intercedit inter Historici verba, & Scalptoris opificium. Quod idem dictum volo & de Seneca, scribente in libr. *de Cons.* cap. 18. *Tanta illi palloris, insaniam testantis, foeditas erat, tanta oculorum sub fronte anili latentium torvitas, tanta capitis destituti, & emendicatis capillis aspersi, deformitas: adji-*

Indiculus Tabulae II. Saeculi I.

INDICULUS TABULAE II. SAECULI I.

ce obsessam setis cervicem, & exilitatem crurum, & enormitatem pedum. Cum Seneca dicit, illum *emendicatis capillis* usum fuisse, fortasse intelligendum est de galerico, quem Cajus gestabat. Hinc forte & Suetonius ait in ejus Vita cap. 35., *pulchros, & comatos &c. occipitio raso, deturpabat*: & cap. 11. narrat, ipsum in lupanar descendere solitum fuisse *capillamento celatum, & veste longa*, ne quis eum posset agnoscere.

113. Nummus Caji Caligulae, cum epigraphe ADLOCVT. COH. *Adlocutio Cohortium* Praetorianarum. Joannes Petrus Bellorius *in Adnotationibus in XII. priorum Caesarum Numismata* pag. 29. num. 1. „ Imperator (inquit) paludatus e suggestu alloquitur milites armatos cum Aquilis, & clypeis, forte in expeditione Germanica. Cajus porro, maximo studio prosecutus est milites, ut scribit Suetonius: *nam & pius, & Castrorum filius, & pater Exercituum, & Optimus Maximus Caesar vocabatur*. De ipsius quoque eloquentia in concionando ad populum, ac milites, idem Suetonius haec habet: *Ex disciplinis liberalibus minimum eruditioni, eloquentiae plurimum attendit; quantumvis facundus, & promptus utique, si perorandum in aliquem esset. Hinc non infrequenter populo, militibusque con-*

concionabatur. Et Joseph. lib. 12. *Is enim Orator facundus, & peritus utique, litteraturae tam Graecanicae, quam Patriae* ,, . Vide Angelonum pag. 37., Museum Arschotanum Tab. 18. num. 2., Erizzo pag. 196., Gesnerum Tab. 39. num. 31., Mediobarbum pag. 77., *Nummophilacium Christinae Reginae Suetiae* Tab. 3. num. 21., Vaillantium *Num. Imp. Rom.* Tom. 1. pag. 17., Theupolum *Muf. Antiq. Num.* Tom. 1. pag. 398., & Musellium Tom. 1. Tab. 17. ac Tomo 3. pag. 63.

114. Nummus Caji Caligulae, cum epigraphe ΓΑΙΟΝ ΚΑΙΣΑΡΑ ΓΕΡΜΑΝΙΚΟΝ ΣΕΒΑΣΤΟΝ.. *Cajum Caesarem Germanicum Augustum*. Caput Caligulae laureatum. In postica, ΙΕΡΑΠΙΤΝΙΩΝ. ΕΠΙ. ΦΛΑΟΥΙΟΥ. *Hierapitbniorum sub Flavio*. Aquila insistens fulmini, & palma arbor. Vide Vaillantium *de Numis. Graec.* pag. 11., & Theupolum Tom. 2. pag. 841. Est hujus Flavii mentio in vetusta Inscriptione apud Gruterum pag. 1094. 7., in ipsis Hierapytnae Civitatis ruderibus reperta:

Λ. ΦΛΑΟΥΙΟΝ
COΛΠΙΚΙΑΝΟΝ
ΥΙΟΝ. ΦΛΑΥΙΟΥ
ΔΩΡΙΩΝΟC, &c.

L. Flavium Sulpicianum, Flavii Dorionis Filium

INDICULUS TABULAE II. SAECULI I.

lium &c. In alio Caligulae Nummo legitur, ΙΕΡΑΠΥΔΝΙΩΝ. ΓΟΡΤΥΝΙΩΝ, quo duarum Cretae insulae Civitatum ὁμόνοια, hoc est concordia designatur. Plinio lib. 4. sect. 20. *Hierapytna*, *Gortyna*: Stephano Ἱερὰ Πύτνα, Πόλις Κρήτης ..... τὸ ἐθνικὸν, Ἱεραπύτνιος. Hodie *Giera Petra*. Fuisse in ea Civitate Palladis, & Aesculapii Fana, vetus Inscriptio docet apud Gruterum pag. 505. Alii quoque Nummi habent, ΙΕΡΑΠΥΤ. Et unus apud Patinum in *Thesauro Numismat.* pag. 22, ΙΕΡΑΠΥΤΝΙ, cum aquila, & palma; ut cernitur in hoc Caligulae Nummo (posito num. 114.), quem illustramus. Aquila, armigera Jovis; quem natum in eâ Insula fabulae ferunt: palma, cujus Creta ferax, teste Plinio lib. 13. sect. IX. ubi de palmis: *copiosae in Creta &c. Flavii* nomen, Praetoris est. Vide Harduinum *in Nummis antiquis Populorum, & Urbium illustratis* pag. 215., & Spanhemium in lib. *de Usu Numismat.* pag. 307.

115. Nummus Caligulae: in antica, ΘΕΑ. ΔΡΟΥΣΙΛΛΑ. ΜΙΛΗΣΙΩΝ. *Caput Drusillae.* In postica ΓΑΙΟΣ ΚΑΙΣΑΡ ΓΕΡΜΑΝ. ΣΕΒΑΣΤ. *Caput Caligulae.* Vide Vaillantium *de Numism. Graec.* pag. 12. num. 1. Ex hoc Caji Caligulae Nummo, divinos honores Drusillae ejus filiae tributos a Milesiis, per assen-

assentationem, intelligimus. Exstat & alius Augusto a Milesiis percussus, cum epigraphe ΜΙΛΗΣΙΩΝ, apud Harduinum: item cum eadem inscriptione, Agrippinae, apud Patinum pag. 87., & ipsi Caligulae pag. 94. Sunt & Drusillae, & Claudii similes. Milesia, hodie dicitur *Palatschia*; quod, ex ingenti Civitate, vix Palatiorum, superbarumque Aedium rudera nunc supersint. Ibi reperta nuper Inscriptio, ΠΟΛΙC. ΜΙΛΗCΙΩΝ.

116. Nummus Juliae minoris, Germanici filiae, cum epigraphe ΙΟΥΛΙΑΝ. ΝΕΑΝ. ΓΕΡΜΑΝΙΚΟΥ. ΜΥΤΙ. *Juliam Novam Germanici, Mitylenaei* colunt. Vide Vaillantium *de Numism. Graec.* pag. 12. num. 2. Harduinus *Num. Antiq. Populorum, & Urbium illustr.* pag. 336. Germanici filiam, inquit, *Juliam Novam* appellant, quod Juliam Augusti conjugem, ac Tiberii matrem, vel virtutum dotibus, vel meritis in Mitylenaeos repraesentet: uti ΚΛΕΟΠΑΤΡΑ ΘΕΑ ΝΕΩΤΕΡΑ in Nummis vocatur: atque una opera, quod apud se nata esset, Lesbii, inprimisque Mitylenaei, gratulantur. Tacitus lib. 2. *Annal.* de Germanico: *Petita inde Euboea, transmisit Lesbum; ubi Agrippina novissimo partu Juliam edidit.* Alii hunc Livillam vocant, ut Suetonius in Cajo cap. 7., quasi

INDICULUS TABULAE II. SAECULI I.

quasi Liviam novam, seu minorem Liviam: nam & Augusti conjugi, non Juliae modo, sed & prius Liviae nomen fuit. Sed & Juliam Josephus appellat lib. 19. *Antiq.* cap. 3. Germanico, conjux Agrippina neptis Augusti fuit; ipse, Juliae Augustae nepos, Druso fratre Tiberii genitus: ex Agrippina, Juliam hanc novam, Drusillam sororem, Caligulamque genuit, & Agrippinam, quam dixi, alteram, Claudii conjugem, matrem Neronis. Ut porro Novam Juliam Mitylenaei hanc appellant, sic se Glycon Ἀσκληπιὸν νέον, *novum Aesculapium*, apud Lucianum vocat in Pseudomanti. Sic Attica Tribus NOVAM CEREREM Sabinam Hadriani conjugem; quod Sponius non intellexit, a quo Inscriptio Graeca vetus affertur, in Itinerario Atheniensi Megaris in Attica reperta, quam tantum Latine versam heic dabo, *Sabinam Principem Augustam, Novam Cererem, Imperatoris Hadriani conjugem* venerantur *Tribus universae, Julii Candidi opera egregii Proconsulis, Praetore Aeschione Democratis filio*: ubi Sponius Νέαν Δήμητρα, *nuper Cereri consecratam* reddidit: quem errorem in altera rursum admittit, ΙΟΥΛΙΑΝ. ΣΕΒΑΣΤΗΝ. ΕΣΤΙΑΝ. ΝΕΑΝ. ΔΗΜΗΤΡΑ, quae Juliae Augustae Augusti conjugis esse potius, quam Juliae Do-

Domnae, ut ille voluit, videtur. Sic eandem Augusti conjugem Liviam Juliamve Nummus alter ex parte unaJunonem,&Juliam ejusdem Principis filiam ex parte altera Venerem appellat: ΙΟΥΛΙΑΝ ΗΡΑΝ (vel, ut alii in aliis Nummis legerunt, ΛΙΒΙΑΝ ΗΡΑΝ) & ΙΟΥΛΙΑΝ ΑΦΡΟΔΙΤΗΝ, apud Octavium Falconerium, aliosque. Sic Octaviae nutrix adulatur apud Senecam:

Tu quoque terris
Altera Juno, soror Augusti,
Conjuxque, graves vince dolores.

Ac de Livia ipsa Naso lib. 3. *de Ponto*, Elegia I,

Cum tibi contigerit vultum Junonis adire,
Fac sis personae, quam tueare, memor.

Sic Cleopatra apud Plutarchum, Νέα Ἶσις. In Nummo Cimelii Regis Christianissimi, ΒΑΣΙΛΙΣΣΑ ΚΛΕΟΠΑΤΡΑ ΘΕΑ ΝΕΩΤΕΡΑ. Sic denique Commodus Imp. in Nummo IVPPITER IVVENIS;&AntoniusTriumvir, & Caracalla Imperator Νέοι Διόνυσοι, quo nomine & Caligulam appellatum, Eustathius auctor est in *Iliad.*

117. Nummus Caji Caligulae,cum epigraphe in antica C. CAESAR. AVG. GERMANICVS. PON. M. TR. POT. In postica AGRIPPINA.DRVSILLA.IVLIA. Suetonius

in Caligula cap. 24. *Agrippina*, *Drusilla*, *Julia*, *filiae Germanici ex Agrippina*, *fuere sorores C. Caligulae*, *quas omnes tres constupravit*, *& pleno convivio singulas infra se vicissim collocabat*. Jo. Petrus Bellorius *in Adnotat. in XII. priorum Caesarum Numismata* pag. 29. num. 3. „ Tres (inquit) C. Caesaris sorores : singulae copiae cornu tenent; sed altera gubernaculo navis nixa est, ut Dea Fortuna; altera columnae, ut Securitas, seu Felicitas; quae in medio est, pateram praefert, ut Concordia. Ceterum Constantiam nunquam columnae incumbentem, neque cum copiaecornu Pietatem Nummi veteres exhibent, ut Hemelarius, & Erizzus explicant. Deas habitu, cultu, & nominibus Cajus sorores suas haberi voluit. Suetonius, *De sororibus auctor fuit, ut omnibus Sacramentis afficerentur*: *neque me, liberosque meos cariores habeo, quam Cajum, & Sorores*. Sed cum his omnibus Cajus foedus, atque immanis stupri consuetudinem fecit „. Agrippina haec C. Caligulae soror, & sexta uxor Claudii, prius desponsata fuit Passieno Crispo, dein Cneo Domitio Aenobarbo, ex quo Neronem suscepit. Drusilla vero altera soror, adeo Cajo fratri in deliciis erat, ut, (teste eodem Suetonio cap. 24. in Vita Caligulae) ipsa defuncta, *justitium indi-*

xe-

xerit, in quo risisse, lavisse, caenasse cum parentibus, aut conjuge, liberisve capitale fuit. Exhibent hunc Nummum, quem illustramus, Angelonus pag. 37., Museum Arschotanum Tab. 18. num. 9., Begerus Volum.2. pag. 617., Harduinus pag. 715., Mediobarbus pag. 77., Patinus pag. 117., Nummophilacium *Reginae Sueciae* Tab. 3. num. 20., Vaillantius *de Numism. Imp. Rom.* Tom. 1. pag. 17., & Musellius Tom. 1. Tab. XVI. num. 10. ac Tom. 3. pag. 63.

118. Nummus Caesoniae C. Caligulae uxoris, cum epigraphe CAESONIA C. CAESARIS AVG. Extat apud Aeneam Vicum Parmensem *in Serie Augustarum* pag. 121. una cum ejusdem Inscriptione posita infra in Indic.num.119. Vide quae diximus num.110. Vaillantius Tom. 1. *de Coloniis* pag. 149. n.2. edidit Nummum, cum epigraphe in postica SAL. AVG. CN. ATEL. FLAC. CN. POMP. FLAC. II. VIR. Q. V. I. N. C. *Salus Augusta Cneo Atellio Flacco Cneo Pompejo Flacco Duumviris Quinquennalibus Victricis Juliae Novae Carthaginis.* Caput muliebre. In antica legitur, C. CAES. AVG. GERMANIC. IMP. P. M. TR. P. COS. Caput Caligulae laureatum. *Juliam Augustam* (inquit) *Tiberii matrem, sub* Salutis Augustae *nomine,*

 in

in Nummis, tum Senatusconsulto percussis, tum in Coloniis, signatam vidimus: cum vero hoc muliebre caput eodem ferme modo capillos habeat, quo illis temporibus Matronae Romanae adornatos gerebant, Caligulae uxoris effigiem potius exhibere putavimus, quam Salutis Deae caput. Viderint porro Eruditi. Carthaginenses Hispaniae, quo quaesitior esset erga Caligulam eorum adulatio, Caesoniam in Nummis sub Salutis Augustae *nomine forsan percusserunt. Suetonius cap.* 27 „ Caesoniam ardentius & constantius amavit, ut saepe chlamyde, peltaque, & galea ornatam, & juxta adaequitantem, militibus ostenderit„. *In Nummis Goltzii Thesauri*, ΚΑΙΣΩΝΙΑ ΣΕΒΑΣΤΗ *perhibetur.*

119. Inscriptio Caesoniae Pomponii Orphiti & Vestiliae filiae, Caji Caligulae quartae uxoris, de qua supra numeris 110. & 118. Marmor exstat in Museo Parmensi. SOLI AETERNO fuit dedicatum; uti etiam tres Inscriptiones apud Gruterum p.32. num.10. ac 11.& p.41.num.11.aliaeque apud Fabrettum.

120. Caput Valeriae Messalinae Barbati Messalae consobrini sui filiae, quintae uxoris Claudii Imperatoris, ac Octaviae (quae nupsit Neroni) & Britannici (qui etiam Germanicus dicebatur) matris. Femina fuit impudentissima, ac verum libidinis monstrum. Ejus

Ejus Nummi perquam rari cujuſque formae. Unus extat apud Vaillantium, a Colonia Corinthi (ut ipſe putat) excuſus, & alter apud Spanhemium, in notis Gallice ſcriptis ad Caeſares Juliani. Claudius, cum comperiſſet, Meſſalinam ſuper cetera flagitia C.Silio etiam nupſiſſe, dote inter aruſpices conſignata; ſupplicio eam affecit (teſte Dione *Annal.* lib. 60. pag. 686.) in hortis Lucullanis, opera Evodii Tribuni. In quam Juvenalis acriter invehitur Satyra VI. verſ. 329., ac Satyra X. verſ. 329. & ſeqq. Paria habent Tacitus *Annal.* lib. 11. circa finem, & Plinius *Hiſt. Nat.* lib. X. cap. 63. Verum (ut ſcite obſervat Cl. Bottarius Tomo 2. *Muſei Capitolini* pag. 15.) tantum valuit aſſentatio, ut illi ſimulacra, & imagines poſitae fuerint, Decreto tamen Senatus poſtmodum dejectae, quemadmodum idem Tacitus laudato loco ita literis conſignavit: *juvitque oblivionem ejus Senatus, cenſendo, nomen & effigies privatis & publicis locis dimovendas*. Quamobrem haec Protome (quam illuſtramus) in Capitolio adſervata, rarior cenſenda eſt; quae, ex concinnata coma, & capillis ordinatim diſpoſitis, ornatiſque taeniis complicatis, laſcivientem feminam prodit.

121. Nummus Claudii, cum epigraphe CLAV-

Indiculus Tabulae II. Saeculi I. CLAVDIVS CAESAR. AVG. GERM. *Caput Tiberii Claudii laureatum*. Vide Angelonum pag.42., Gesnerum Tab.43. num.27., Nummophilacium *Reginae Sueciae* Tab. 50. num. 2., Vaillantium *Numis. Imper. Rom.* Tom.3.p.106.,& Musellium To.1. Tab.XIX. num.9. ac Tom. 3. pag. 66. GERMANICVS dicitur, ob triumphum a Druso Patre relatum de Germanis (de quo supra num. 69. 70. & 71.)Eodem titulo est insignitus etiam in Inscript. apud Fabrettum pag. 413., itemque in alia edita a Grutero pag. 176. 5. quae extat Romae in ductu Aquae Virginis ad Portam, quam *Majorem* vocant.

122. Nummus Claudii, in quo Carpentum a quatuor equis vectum. Vaillantius de *Num. Imp. Rom.* Tom. 2. pag. 55. „ A Nerone (inquit) percussus est in memoriam Apotheoseos Claudii Nummus, & Carpentum exhibet, quod in Pompa funebri per Circum traducebatur. Imperatorum nempe a quatuor Equis, aut Elephantis trahebatur; Augustarum vero,a duobus mulis. Voces EX S. C. (loquitur de alio Nummo,cum eodem typo), illumSenatusConsulto decretum arguunt.Extat hic Nummus 122. etiam apud Theupolum *antiq. Numism.* Tom.1. pag. 130. Messalinae Claudii uxori Carpentum, & honores, Liviae Au-

Auguſtae olim decretos, Senatus conceſſit (ut in *Chronico* ad annum Aerae Chriſti Vulgaris 44. pag. 104.). Suetonius cap. XI. *Aviae Liviae* (inquit) *Divinos honores, & Circenſi Pompa currum elephantorum Auguſtino ſimilem Claudius decernendum curavit. Parentibus inferias publicas, & hoc amplius Patri Circenſes annuos Natali die: matri Carpentum, quod per Circum duceretur.* Rupilia quoque Fauſtina Rupilii Boni Viri Conſularis filia, Annii Veri M. Aurelii avi uxor, poſt mortem, teſte Capitolino in Antonino Pio cap. 3, *a Senatu conſecrata eſt, delatis Circenſibus, atque templo, & Flaminicis, & ſtatuis aureis atque argenteis.* Quae quidem omnia & veterum monumentorum fide comprobantur. Circenſes namque ei delatos & Nummus, in quo thenſae a duobus elephantis tractae, ſupra quas, dextra ſceptrum gerens, cerea ipſius Fauſtinae imago ſedet, & alius perrarus Nummus (editus a Vignolio in Diſſert. *de Columna Antonini Pii* cap. 8. pag. 138.) primae magnitudinis manifeſte declarant. Mulare ſiquidem Carpentum Vignolii Nummus praefert ſtatuis quamplurimis ornatum, quod arcuatus, ut oculis patet, atque (ut Lipſii verbis utar ex cap. 11. *de Re Veſt.* deſumptis) *ſuperne tectus, & camerae in modum*, currus erat. Non

Non semper enim Thensis, quae patentes desuper, quaeve equis, vel elephantis, vel leonibus junctae, altera sacrorum Curruum species erant, immo Carpento a mulis tracto saepius in Augustarum consecrationibus cerea illarum Simulacra per Circum traduci solebant. Advertit tamen Vaillantius Tom. 2. *Numism. Imp. Rom.* pag. 137. ubi argenteum Marcianae Nummum explicat, quod, cum Thensae in eo expressae coopertae desuper occurrant, atque in iis cerea ejusdem Marcianae Statua non appareat, ejus propterea corpus, dum ad rogum deferebatur, reconditum fuisset. Quod si verum esset (inquit laudatus Vignolius, ibidem pag. 139.) idem etiam de Carpento, utpote superne tecto, omnino sentire oporteret; cum notum tamen sit, Consecratarum Mulierum, vel quarum memoriae annuos Circenses Senatus decernebat, Carpento cereas imagines per Circum ferri moris fuisse. Hoc idem propterea de Thensis, etiam si desuper instar Carpenti coopertae se se offerant, dicendum erit: atque eo magis, quod, cum veterum Scriptorum testimonio sacrum Deorum vehiculum hae fuerint, nefas futurum fuisse videtur, non consecrati adhuc corpus in eos inferre. Nam, quamvis Senatus alicujus consecrationem decre-

crevisset, donec tamen haec sequuta non fuerat, inter Deos relatus quisquam dici, aut haberi non poterat. Quod ex sepulcrali Antonini Inscriptione ab eodem Vignolio relata pag. 65. non obscure patet; quae, cum immediate post illius corpus in Hadriani Sepulcrum illatum apposita ibi fuerit, die nempe septima ante illius Consecrationem, ut moris erat, omni proinde consecrationis, divinitatisque indicio caret. Quod autem tam Carpentum a mulis tractum, quam Thensae, quae ab elephantis, vel ab equis passim vehebantur, nonnisi pro Circensi pompa, in consecrationibus praecipue, inservirent, certissima testimonia non desunt. C. Caesar Caligula apud Suetonium cap. 15. *Agrippinae matri Circenses, Carpentumque, quo in pompa traduceretur, instituit*. Plura vide apud Auctores, qui de Carpento scripserunt, praesertim apud Ligorium *de Re Vehicularia*, Pancirollum *de Corp. Artif.*, Bergerum *de Viis Milit.*, Salmasium in Lampridium, & Panvinium *de Ludis Circensibus*. De vehiculis quoque Antiquorum legenda Diatriba laudati Ligorii, ex libris ejus de Familiis Romanis excerpta, quae prodiit ad calcem librorum duorum Joannis Scheferi, quibus de omni Re Vehiculari Veterum copiosae observationes

Aaaaa con-

INDICULOS TABULAE II SAECULI I.

continentur *Francof.* 1671. 4. de Thensis vero Felix Orosius in Thesauro Antiquitatum Italiae Graev. Tom. 3. pag. 1063.

123. Corona civica, ex postica Nummi Claudii, cum epigraphe S. P. Q. R. P. P. OB C. S. ideft *Senatus Populusque Romanus Patri Patriae ob Cives servatos*. Vide quae scripsimus de hoc Nummo in Indiculo num. 111. Extat in Museo Arschotano Tab. 19. num. 3., apud Bellorium *in Adnotationibus in XII. priorum Caesarum Numismata* pag. 35. n. 1., Mediobarbum pag. 84., Theupolum *Mus. antiq. Num.* Tom. 1. pag. 131., & Musellium Tom. 1. Tab. 19. num. 8. ac Tom. 3. pag. 66.

124. APOTHEOSIS CLAVDII IMPERATORIS. Caelestibus honoribus (inquit Fabrettus in explanatione veteris Tabellae anaglyphae Homeri Iliadem continentis pag. 383.) Claudio decretis, Nero eundem *apparatissimo funere extulit, consecravitque*. Templorum per Orbem, adulantibus Civitatibus, illi erectorum memoria in variis Gruteri Inscriptionibus remanet pag. CXCIII. 3. CCCXCVI. 8., & MXCVII. 2. Sed quod apud Bovillas nuper repertum fuit, vel Neronem Auctorem & Conditorem ex suburbana vicinitate habuit, vel Sacrarium illud Juliae Genti ibidem a Tiberio aedificatum refert, de quo ita Tacitus

citus lib. 2. Annal. *fine anni*, *Arcus propter Aedem Saturni ob recepta signa cum Varo amissa ductu Germanici, auspiciis Tiberii, & Aedes Fortis Fortunae Tiberim juxta, hortis quos Caesar Populo Romano legaverat, Sacrarium Gentis Juliae, effigiesque Divo Augusto, apud Bovillas dicantur*. In eo, Claudii ab aquila in Caelum sublati colossea fere magnitudine simulacrum (obrutum per plura saecula inter parietinas) erutum fuit, cujus exemplar, a nobis hoc num. 124. exhibitum, idem Fabrettus p.384. laudati Operis adumbravit, elegantius a praestantissimo Marcello Severolio excipi jussum, & ejus de Apotheosi tractationi insertum; cui simile omnino est Jovis caput aquilae expansis alis inhærens apud Boissardum *Antiq.Rom.* To.4.p.84, aliudque Solis apud Duces Matthaejos, sub quo Inscriptio a Grutero allata p. XXXVI. 1. Unde, cum aliud Homericae Apotheoseos (de quo infra in Tabula II. Saeculi Secundi) marmor, quod apud Kircherium extat, ibidem effossum sciamus, Neronem, vel in extruendo Templo, vel in commune Majorum sepulcrum imaginem hanc Claudii inferendo, ejusmodi ornamenta, valde inter se conformia, comparasse certum videtur: ejusdemque proinde studii fuisse, Homero, quem tanti faciebat Claudius,

INDICULUS TABULAE II. SAECULI I.

dius, cultum afferere, ac ejus Poesi laudem novo hoc invento adjungere, atque etiam Troicorum, quae olim ipsemet cecinerat, in memoriam spectantes inducere. Hujus Apotheosis Claudii insigne monimentum, lapidi, de quo loquimur, consignatum, habes etiam apud Montfauconium Tom. v. Part.I. pag. 161. col.2. *Antiq. Expliq.* cujus expositionem heic describere, nonnullis additis, necessarium duco: *Apotheosis est Imperatoris Claudii, quem Caelo dicavit Nero, inquit Plinius Junior in Paneg., ut irrideret*: Dicavit Caelo (*sunt ejus verba*) Tiberius Augustum, sed ut Majestatis Numen induceret; Claudium Nero, sed ut irrideret: *quem enim veneno sustulerat, ut ejus loco imperaret, libenter in Deorum numerum retulit. Scilicet Nero, boletos Claudio Augusto exitii causam*, quasi Deorum cibum, *Graeco proverbio, laudabat, teste Suetonio in* Nerone; *quod ejusmodi epulis veneno infectis Claudius extinctus Apotheosim sit adeptus, ipse vero Imperium. Hoc anaglyphum Columnensium Principum erat; sed Cardinalis Hieronymus Columna, Madritum transvehi curavit, ut illud dono offerret Philippo IV Hispaniarum Regi. Protome Imperatoris Claudii radiatam coronam gestantis; quae luminoso circulo, cui nomen nimbus, ambitur,*

bitur, dorso insistit aquilae, quae mox avolatura in Caelum est. Aquila ungue altero fulmen Jovis, altero globum tenet, Imperii signum: qua re significatur, Claudium mox cum Jove una regnaturum in Caelo. Aquila stat supra ingentem armorum acervum, scutorum, peltarum, loricarum, cassidum, gladiorum: in utroque latere visuntur rostra navium, anchora, atque chenisсus; queis significantur victoriae terra marique partae ab Imperatore, sive potius a Ducibus: num imbecillus Claudius erat. Inter scuta, alia ovata sunt, alia hexagona, alia undulatis lateribus. Prorae navium, praeter rostrum inferius, aliud habent rostrum arietino capite terminatum. Claudii tamen vecordiam atque stupiditatem perstringens Seneca, pro illius Apotheosi lepide celebrat Apocolocynthosin, ac si in cucurbitam potius post fata, quam in Numen aliquod migraverit.

INDICULUS TABULAE II. SAECULI I.

125. Nummus Claudii, cum epigraphe, TI. CLAVD. CAES. AVG. AGRIPP. AVGVSTA. *Capita Claudii, & Agrippinae jugata.* Vide Vaillantium Tom.2. *Numis. Imp. Rom.* pag. 55, & Pedrusium Tom.2. Tab. 14. num. 11. Agrippina furiosa regnandi libidine capta, suis artibus Claudium irretivit, cujus sexta uxor fuit: *verum illecebris Agrippinae* (inquit Suetonius in ejusdem Claudii Vita

INDICULUS TABULAE II. SAECULI I.

Vita cap. 26.) *Germanici fratris sui filiae, per jus osculi, & blanditiarum occasionem pellectus in amorem, subornavit proximo Senatu, qui censeret, cogendum se ad ducendam eam uxorem, quasi Reipublicae maxime interesset*. Consulantur etiam Dio *Hist.* lib. 60. pag. 686, Tacitus *Annal.* lib. 12. cap. 3, & Zonaras *Annal.* lib. 4. pag. 185. Edit. Reg. Haec Agrippina, Augustae titulo decorata, ab uxore Germanici distinguitur, cui hujusmodi appellatio minimè convenit. Germanicus enim tantum Caesar fuit renunciatus: Augustae vero appellabantur solum Imperatorum uxores, & quandoque filiae, sorores, & nurus.

126. Nummus Claudii cum epigraphe, TI. CLAVD.CAESAR.AVG.P.M.TR.P.IMP. XI. Petrus Bellorius in *Adnot.in XII.Caes.* pag. 35. n.6. ait,, Jupiter in postica cum fulmine, ac tridente, & septem stellis, (Aeneas Vicus, ex quo noster Nummus delineatus est, quinque tantum stellas enumerat, sed forte errore scalptoris; cum in expositione Bellorii, & apud Tristanum To.1.p.185. in eodem Nummo septem stellae conspiciantur in typo.) quem, Jovem Neptunum interpretatus est Tristanus ex Athenaeo. Hujus Templum extabat in Aegypti Urbe Milea, quo perventus

Do-

Dorio quidam, cum interrogasset, cujus Templum esset, responsum tulit a Sacerdote Ζωοποσειδῶνος Jovis Neptuni. Jupiter apud Aegyptios, idem fuit ac Nilus, ex eodem Athenaeo, idemque Oceanus, ex Diodoro Siculo ab eodem Tristano relato in Nummo Titi, cujus postica praefert Nili caput: quae expositio valde convenit: uno enim eodemque Jovis nomine tres fratres appellati Jupiter, Stigius Pluto, Jupiter tridentifer Neptunus. Dabantur etiam fulmina, & manubiae non Jovi tantum, sed & aliis Diis, ac Deabus, Saturno, Marti, Vulcano, Junoni, Palladi: unde mysticum simulacrum Jovis in nostro Nummo. Septem stellae, Plejades, seu potius sferae septem, quas ipse comprehendit ex Macrobii doctrina, quaeque in elementa virtutem inferunt. Idem Tristanus deducit ex fulmine, & tridente, Claudium Neptuni Jovisque auxilio Britannica victoria potitum; sed obstat titulus IMP. XI. In Nummis quoque Caligulae visitur Jovis stantis effigies. Vide Harduinum *Num. antiq. illustr.* pag. 21.

127. Nummus Claudii, cum eadem epigraphe in antica, TI.CLAVD.CAESAR.AVG. P.M. TR.P.IMP.XI. In postica vero, quam heic exhibemus, visuntur sine ulla inscriptione duo gladiatores, mutuis ictibus se confodien-

INDICULUS TABULAE II. SAECULI I.

dientes. Ludos Anno Saeculari Romae fuisse celebratos Anno U. C. DCCC. a T. Claudio Caesare IV. & L. Vitellio III. Consulibus anno Aerae Christi Vulg. 47. (quo tempore vix ullus superstitioni modus statui, aut frena licentiae injici poterant) dictum est in *Chronico* ad eund. ann. Claudium vero tunc irrisum, scommatisque lacessitum, Veteres memorant; quod Annum Secularem sextum celebrasset sexagesimo tertio anno post consimiles Augusti ludos actos Anno U. C. 737. Nam, ut auctor est Plinius lib. 7. cap. 48., Stephanio quidam utrosque Augusti, & Claudii ludos spectavit, & saltavit in utrisque. Huc spectat Suetonius *in* eodem *Claudio*, dum ait: *Irrisam vocem praeconis invitantis ad Ludos, quos nec spectasset quisquam, nec spectaturus esset; cum superessent adhuc qui spectaverant.* Saeculum Romanum, vel centum tantum annos complectebatur, vel potius centum ac decem, quemadmodum Quindecimvirales Commentarii cum Augusto constituerant: eaque ratione Saeculum definit Horatii hymnus,

Certus undenos decies per annos
Orbis, ut cantus, referatque ludos &c.

Quare Zosimus Claudium carpit, ejusque Ludos a ceteris Imperatoribus minime probatos

tos observat lib. 2. *Post Augustum Claudius Ludos celebravit, numero praestitutorum annorum neglecto. Post eum Domitianus, Claudio valere jusso, numerateque ambitu annorum, ex quo Ludos Augustus fecisset, traditam ab initio legem servare visus est*. Claudianos ludos silet, illosque valere jubet Domitianus, ob minime servatum annorum ambitum, ut tradit etiam Suetonius: *Claudius fecit & Seculares quasi anticipatos ab Augusto, nec legitimo tempori reservatos*. Inter illa vero Spectaculorum genera, erat Gladiatoria crudelitas, qua arena sanguine & caedibus contaminabatur. Ex Historiae Augustae Scriptoribus intelligimus, quanta superstitione imbuti Ethnicorum animi ferale solum Gladiatorio cruore deturparent anno Saeculari. Capitolinus recenset inter cetera, etiam a Philippo Ludis Saecularibus exhibita, *Gladiatorum Fiscalium paria mille*: *quae omnia*, subdit, *Philippus Ludis Saecularibus vel dedit, vel occidit*: & paullo post: *omnia haec Philippus exhibuit Saecularibus Ludis, & muneribus, atque Circensibus*. Recte τὸ *dedit*, &, *munera*, adponuntur, inquit Doctissimus F. Thomas Vincentius Monelia in Dissertatione II. *de utriusque Philippi religione* pag. 20., quandoquidem Gladiatores producere, *munus*

INDICULUS TABULAE II. SAECULI I.

vel *munera dare* proprie dixerunt Veteres, quibus accedunt eruditi Lapides. Nec abs re fuerit sedulo observare, a Capitolino, Gladiatores eo *Fiscales* nominari (auctore Justo Lipsio *Saturn. Serm.* lib. 2. cap. 16.), quod ad Caesaris bona, & veluti Fiscum pertinerent. Non ita sane Magnus Constantinus, qui neque Saeculares ludos, neque Gladiatorium munus probavit. Quare Zosimus illi infensus queritur neglecta ejus tempore prisca sacra, omniaque labefactata atque collapsa: *Constantino & Licinio III. Coss. centum & decem annorum tempus integrum aderat, quo jam Ludos consueto more celebratos oportuit: eo vero non observato, ad infelicitatem illam res prolabi necesse fuit, quae hoc tempore nos urget.* Erat annus, de quo loquebatur 313 Aerae Vulgaris, quo Consulatum III. inierunt Constantinus, & Licinius Augusti, exacto spatio 110. annorum, ab anno Saeculari Severi Imperatoris, Aerae nostrae 204. Porro optimus Princeps Idololatriam funditus eversurus, & Ecclesiae rebus jam diu accisis opem laturus, pie, sapienterque Ludos, ritusque impios contemsit, & optimam, quae extat apud Eusebium *Hist. Eccl.* lib. 10. cap. 7, Constitutionem pro Ecclesia edidit: annoque 325. Caesarei Imperii Vicennalia celebrans, edixit,

xit, ne Gladiatorum spectacula in Oriente, Berythi maxime, exhiberentur. Vide laudatum Moneliam pag. 23., & Petrum Bellorium *in Adnotationibus in XII. priorum Caesarum Numismata* pag. 35. num. 5.

INDICULUS TABULAE II. SAECULI I.

128. Nummus Claudii, cum epigraphe in postica AGRIPP. AVG. DIVI CLAVD. NERONIS CAES. MATER EX S. C. Quadrigae Elephantorum currum trahunt, in quo sedet figura virilis togata, & radiata, dextra hastam puram gerens: prope eam mulier, quae item dextra aquilam Legionariam tenet. Extat apud Vaillantium *Num. Imp. Rom.* Tom. 2. pag. 60., & Theupolum Tom. 1. p. 131. Legitur in antica, NERO CLAVD. DIVI. F. AVG. GERM. IMP. TR. P. COS. Capita jugata Neronis, & Agrippinae. Haec Claudii neptis & sexta ejus uxor, Mater fuit Neronis Imperatoris. Livia, tanquam Mater Castrorum, Aquilam Legionariam gerit. Suetonius *de Cajo Caligula* inquit: *nam & pius, & Castrorum filius, & Pater exercituum, & Optimus Max. vocabatur*. Filius nempe Castrorum dicitur, quia Agrippina, quae eum genuit, dicta fuit *Mater Castrorum*. Aquila Legionaria ex argento vel auro astae insistens, alis expansis, & pede altero fulmen aureum tenens, in militia Romana

ſignum fuit totius Legionis. Vide Lipſium *de Militia Romana* lib. 4. cap. 3., La Chauſſe *de Sign. Militar.*, Theſ. Antiq. Roman. Graevii Tom. X. pag. 1528., A. Ferrarium Elect. I. cap. 4., Salmuth in Pancirollum *de Rebus deperd.*, *& invent.* pag. 585., Lyd. *de Re militari* lib. 3. cap. 7., & Valtrin. *de Re militari* lib. 3. cap. 9. Sub illa ſola omnes Legiones educebantur, & ſub ea ſola pugnabatur: unde in Nummo Auguſti viſitur *Aquila Legionaria*, apud Occonem *Numiſ. Imper.* pag. 58. Plinius lib. 10. cap. 4. *paucis* (inquit) *ante annis ſola in aciem portari coepta erat; reliqua in Caſtris relinquebantur*.

129. Nummus Claudii, cum epigraphe in poſtica ROM. ET AVG. COM. ASI. Vaillantius *Num. Imp. Rom.* Tom. 2. pag. 56. ſcribit: „ Templum diſtylum, in cujus medio figura muliebris ſtolata ſtans: dextra imponit coronam Imperatori paludato, laeva cornucopiam gerit. Jam in Auguſti Nummis templum, Romae & Auguſto dicatum vulgavimus; quod Pergami extructum a Tiberio ſuſpicati ſumus: at quum illud exaſtylum ſit, & hoc diſtylum, idem eſſe non exiſtimamus. Alabandenſes Templum Romae anno 534. extruxerunt: forſan idem & Auguſto conſecrarunt. Vide Nummum toti Familiae Auguſti

gusti dicatum in Cenot.Pisan.pag.93,,. Exstat Nummus, quem heic illustramus, etiam in Museo Theupolo Tom. 1. pag. 131. Jo. Petrus Bellorius pag.34. num. 1. Templum, inquit, ab Asiaticis Romae & Claudio dicatum: quasi ipse immitatus sit modestiam Augusti, qui in nulla Provincia, Templa, nisi communi Suo Romaeque nomine, recepit. Suetonius de Claudio, *In semet augendo parcus, atque civilis, praenomine Imperatoris abstinuit, nimiosque honores recusavit*. In templo, Imperatoris cernitur & Asiae simulacrum cum copiae cornu, quae ejusdem capiti coronam porrigit. Ephesi percussus Nummus videtur, Latina Inscriptione, DIAN. EPHE. Erat Ephesus prima Metropolis Asiae, portu, & emporio celeberrima, quo ex Graecia, & Italia conveniebant. In antica ejusdem Nummi legitur, TI. CLAVDIVS. CAESAR. AVG. Inscriptio, quam heic illustramus, habetur & in Nummo Tiberii Tacitus lib.4. *Annal.* scribit: *Decrevere Asiae Urbes templum Tiberio, matrique ejus, ac Senatui, & permissum statuere*: & multis deinde interjectis, *Tiberius Caesar adesse frequens Senatui, Legatosque Asiae ambigentes, quanam in Civitate Templum statueretur, plures per dies audivit .... Rogati sententiam Patres, Smyrnaeos praetulerunt.*

INDICULUS TABULAE II. SAECULI I.

runt &c. Constabat ea Communitas Asiae Oppidis omnino tredecim, ut ex Nummo Antonini Pii liquet apud Harduinum in *Nummis antiquis Populorum* illustratis, pag. 421. ΚΟΙΝΟΝ. ΓΙ. ΠΟΛΕΩΝ. Π. ΡΟΔΙΟΝ. ΚΛ. ΦΡΟΝΤΩΝΟϹ. ΑϹΙΑΡΧΟΤ. ΚΑΙ. ΑΡΧΙΕ. ΓΙ. ΠΟΛΕΩΝ. *Commune tredecim Civitatum, Magistratu Rhodiorum Claudio Frontone Asiarcha, & Pontifice tredecim Civitatum.* Quae causa fuerit, cur hoc Rhodii, & Asiatici pariter jusserint numisma cudi, Capitolinus in Antonino aperit, cum ait: *terrae motu Rhodiorum & Asiae Oppida concidisse, quae omnia Antoninus mirifice instauravit.* Vide Spanhemium in lib. *de usu Numism.* pag. 692., Occonem pag. 270., & Goltzium in Thesauro, pag. 226. *Commune Asiae, Concilium* dixit Gellius lib. 2. cap. 6.

130. Nummus Claudii, cum epigraphe in postica COL.CL.PTOL. de qua Patinus p. 100. „ Solemnis (inquit) Coloniarum typus heic exhibetur. Colonus agit jugum boum, vexillis militaribus ornatum: haec inter, characteres COL. CL., meo judicio Coloniam Claudiopolim indicant, de qua Ammianus Marcellinus lib. 14. *Igauriam duae Civitates exornant, Seleucia opus Seleuci Regis, & Claudiopolis, quam deduxit Coloniam Claudius Caesar.* Haec Patinus: qui cum exesum Nummum viderit,

derit, imaque parte mutilum, qua vox postrema continebatur, ita inscriptionem retulit COL. CL. ac de Claudiopoli Isauriae accepit. Verum in Nummo legitur COL. CL. PTOL. *Colonia Claudii Ptolemais*. Plinius lib. 5. Sect. 17. scribit, *Colonia Claudii Caesaris Ptolemais*. Quare Doctissimus Vaillantius *de Colon.* Tom. 1. pag. 181. ita hunc Nummum illustrat: „ Ptolemais, Urbs Phoeniciae, a Claudio Caesare Colonia deducta, Nummos suos Fundatori, cum colono, & signis militaribus, Coloniae constitutae symbolis, memor percussit: eundem typum Neroni successori in Claudiam Familiam adoptato, ut ejus sibi benevolentiam conciliet, dedicat, apposito in imo, ad majorem adulationem, *Divos Claud.* titulo, ut significarent, Claudium inter Deos Neronis cura relatum. Ejus Consecrationis meminit Suetonius in Vita Claudii cap. 45. *Funeratus est solemni Principum pompa, & in numerum Deorum relatus*. Et Tacitus Ann. 12. *Caelestesque honores Claudio decernuntur, & funeris sollemne, perinde ac Divo Augusto, celebratur*. Privignus Nero filio Brittannico praelatus, Imperator in castris salutatus est; sententiam militum secuta sunt Patrum consulta: & addit idem Historicus loco laudato, *Nec dubitatum*

tum est apud Provincias. Ideo Ptolemaidenses Nummos Neroni proferunt. Exstat & alius Claudii Nummus in Thesauro Goltzii, pag. 238. cum epigraphe COL. CAESAREA PTOLEMAIS. De *Divi* Titulo Claudio dato, vide quae scripsimus paullo supra num. 124.

131. Nummus Tib. Claudii. Legitur in antica, TI. CLAVD. CAES. AVG. AGRIPP. AVGVSTA. In postica vero, quam heic exhibemus, ita habetur, DIANA EPHESIA. Diana polymamma stans a fronte, cum utraque manu extensa, & innixa fulcris, seu verubus. Ephesii, in honorem Claudii, & Agrippinae uxoris, Nummum hunc cuderunt, inque aversa parte Dianae simulacrum signarunt, pro eorum cultu in Dianam, ut inquit Vaillantius *Num. Imp. Rom.* Tom. 2. pag. 55. Porro in Ephesiorum Nummis signari Diana solita, aut Cervus, quia Dianae sacer. Vide Libanium in Dianae encomio, & Strabonem lib. VIII. pag. 343. S. Hieronymus in Proemio in Epist. I. ad Ephesios, *Dianam* (inquit) *colentes, non hanc Venatricem, sed illam MVLTIMAMMIAM, quam Graeci* Πολύμαστον *vocant: ut scilicet ex ipsa quoque effigie mentirentur, omnium eam bestiarum, & viventium esse nutricem*.

132. Num-

132. Nummus Claudii. In antica, TI. CLAVDIVS CAESAR. AVG. P.M. TR.P. IMP. P.P. In postica, IMP. D. AVG.REST. S.C. *Imperator Domitianus Augustus restituit Senatus Consulto*. Exstat apud Bellorium *in Adnot. in XII. Caes.* pag. 32. num. 10., & Musellium Tom. 1. Tab. 18. num. 5. ac Tomo 3. pag. 64. Patinus pag. 107. exhibet alium Nummum Claudii per Titum restitutum, in quo, ut in nostro, Pallas repraesentatur vulgari habitu, cum pilo, & scuto, ac cum epigraphe, IMP. T. VESP. AVG. REST. S. C. Quos Nummos Claudii Imperatoris incuria raros fecerat, eos denuo cudi curarunt Domitianus, & Titus, partim Claudii beneficiis ducti, partim necessitudine. Suet. in Claud. cap. 4. *Claudius Vespasianum cum fratre Sabino in Britanniam Legatum miserat, qui ipsi, trajecto amne, permultos barbaros improviso interfecerunt. In eadem expeditione, socius paterni honoris atque fortunae versabatur Titus; qui, circumdato a barbaris Vespasiano, & in extremo periculo versato, patri metuens, coronam hostium incredibili audacia disjecit, fugientesque insecutus cecidit.* Hujus Legationis meritum compensaturi Vespasianus, & Titus, Nummos Claudii funerati solemni Principum pompa, & in nume-

INDICULUS TABULAE II. SAECULI I.

rum Deorum relati, sed postea honore Templi exuti a Nerone, restituendos curarunt: &, ut narrat Suetonius in Vesp. cap. 9., ipse *fecit & Templum D. Claudii in Coelio Monte, coeptum quidem ab Agrippina, sed a Nerone prope funditus destructum*.

133. Nummus Claudii. In antica TI. CLAVD. CAESAR. AVG. GERM. P. M. TR. P. In postica, quam heic damus, VICTORIA AVGVST. Victoria, pede dextero globo imposito, scribit supra clypeum. Hic typus spectare videtur ad victoriam illam, quam Claudius de Britannis retulit anno U.C. 796, ob quam anno sequenti Romae triumphavit maximo apparatu. Victoria pedem globo imponit, quasi novum Orbem sub ditione Romana redegerit: nam Britannia toto Orbe divisa, tanquam alter Romanis Orbis videbatur. Vide Tacitum *Annal.* lib. 18., Vaillantium *Num. Imp. Rom.* Tom. 2. pag. 56. & *Chronicum* ad eundem ann. U.C. 796. ac seq.

134. Nummus Claudii. Petrus Bellorius pag. 31. num. 2. hunc Nummum exhibet. Legitur in ejus antica, NERO CLAVD. IMP. LVRINO VOLVMNIO II. VIR. In postica vero, NERO CLAVD. CAESAR. IMP. ET OCTAVIA. AVGVSTI. F. (*Augusti filia*), hoc est Claudii. Duo adversa capita, sunt ejusdem Ne-

Neronis, & Octaviae. Vir, & uxor (inquit Patinus pag. 114.) sese invicem respiciunt syderum modo, quorum in capite gestant symbola. Lunam haec refert, ut ille Solem, Mundi praecipua lumina: quibus in Caelis cetera, ut Imperatoribus sublunaria, inserviebant. Ceterum circa Neronis caput (inquit Bellorius) VRINO VOLVMNIO legitur, quod Angelonus nomen esse arbitratur Triumviri Monetalis, Tristanus vero interpretatur quasi caelesti, & bonavolenti. Ουρανὸς enim apud Græcos, Saturni Parens fingebatur, rerum omnium Servator. Jovis Urii meminit Cicero Or. VI. in Verrem his verbis: *Quid ex Aede Jovis religiosissimum simulacrum Jovis Imperatoris, quem Graeci Urion nominnat, pulcherrime factum nonne abstulisti?* & Arrianus τὸ ἱερὸν τοῦ διὸς τοῦ οὐρίου διέχει ἀπὸ Βυζαντίου σαδίους εἴκοσι καὶ ἑκατόν. Volumnus a Divo Augustino lib. 4. *de Civit. Dei* cap. 20. sic explicatur, *Deo Menti*, inquit, *ut bonam haberent mentem*; *Deo Volumno, & Deae Volumnae, ut bona vellent*, quae recensentur inter conjugalia Numina. Is est fortassis, qui Volianus in Inscriptione antiqua nominatur:

NVMINI AVGVSTORVM
DEO VOLIANO.

Laudatus Tristanus Volumnium, sive Volia-

 num,

num,*bona volentem* reddit.Hos titulosNeroni non tantum dicat Nummus, verum & Sardonix antiqua, in qua NERO. VOLON. ideſt Volonicus, aut Volonius, ut bona vellet. Tacitus *Annal.* libro XII. ſcribit: *D. Junio Q. Acterio Coſs. ſexdecim annos natus Nero Octaviam Caeſaris filiam in matrimonium accepit*. Similem noſtro Nummum percuſſit Colonia Romulenſis in honorem Auguſti & Liviae, cum Sole,&Luna.VideVaillantium *deColoniis* To.1. p.183. Ego tamen Lurini, & Volumnii Duumvirorum Coloniae puto eſſe nomina, quae integris litteris leguntur in pluribus Nummis nulla vetuſtatis injuria corruptis. Occo legit, VRINO pro LVRINO, & ita Patinus,de quo ſupra.Vide tamenAngelonum pag. 42., Begerum Vol.3. pag. 96., Geſnerum Tab. 49. num. 43., Spanhenium Vol.2. pag. 282., Nummophilacium *Reginae Sueciae* Tab. 51. num. 5., & Muſellium Tom. 1. Tab.25. num. 10. ac Tom. 3. pag. 73.

135. Nummus Claudii, cum epigraphe TI. CLAVD. CAESAR. AVG. GERM. P. M. TR. P. Caput Claudii laureatum. Extat in Muſeo Arſchotano Tab. XIX. num. 18., apud Harduinum p.720., Mediobarbum pag. 84., Vaillantium *Num. Imp. Rom.* Tom. 2. pag.53., Theupolum Tom. 1. pag. 130., & Mu-

& Musellium Tom. 1. Tab. 19. num. 7. ac Tom. 3. pag. 66.

136. Nummus Claudii, cum epigraphe in antica TI. CLAVD. CAESAR. AVG. P. M. TR. P. IIII. In postica vero, IMPER. RECEPT. *Imperio*, seu *Imperatore Recepta*. *Castra Praetoria*. Occiso Cajo, Claudius a militibus Imperator salutatus est IX. Kal. Februar. anno Aerae Chr. Vulg. 41., illatusque Castris, Imperium recepit, ut Suetonius, Dio, & fuse Joseph. Vide *Chronicum* ad eundem annum pag. 96. Castrorum Icnographiam refert hic Nummus cum moeniis, turribus, portis, & custodiis: in medio Templum, in quo signa, & simulacra exercitus adorantur, ut refert Herodianus. Aquila, signum legionarium ex argento de more Castris fixum est; indeque non amovebatur, nisi prius capto augurio, cum ad praelium esset exeundum. Vide Bellorium pag. 35. num. 5., & Theupolum *Mus. antiq. Numis.* Tom. 1. pag. 130. Vaillantius *Num. Imp. Rom.* Tomo 2. pag. 55. *Castra sunt* (inquit) *Praetoria in Nummis Claudii repraesentata, in memoriam, quod a Praetorianis pro Imperatore salutatus sit, & ab iis* (ut ait Suetonius cap. 10.) *receptus, intra vallum pernoctavit*.

137. Nummus Claudii. In antica, TI. CLAV-

CLAVDIVS. CAESAR. AVG. P. M. TR. P. X. P. P. IMP. XVII. In postica vero, quam heic exhibemus, PACI AVGVSTAE. Victoria pacifera, quam scilicet, subactis Britannis, Orbi Romano praestitit Imperator. Unde Seneca lib. *de Clementia* Neronem ita loquentem inducit: *Haec tot millia gladiatorum, quae PAX mea comprimit, ad nutum meum stringentur*. Vide Theupolum Tom. 1. pag. 130. Bellorius *in Adnotationibus in XII. Caes.* pag. 34. num. 4. hanc fecit Numismatis descriptionem: *Pax alata cum Caduceo, seu Victoria pacifera. Anguis, salutis & felicitatis genius, ut in Augusti Nummo, cujus ab uno latere ejus caput cum epigr. IMP. CAESAR. DIVI. F. COS. VII. LIBERTATIS. P. R. VINDEX., ab alio laurea, intra quam Dea Pax manu tenet copiae cornu: prope, ara est Salutis, cum angue: & similes passim in Nummis, Diis Heroibusque dicatis, ex Aegyptiorum sacris. Quid vero Bulla dependens e collo, ingenuorum ne, an triumphantium insigne, & amuletum? Torquem, opinor, fortitudinis praemium, cum imagine Principis ad instar bullae, seu auro, seu gemma insculpta, quam torqui adfixam, & e collo pendentem oculis inspiciendam obducit, & veneratur Pax. Nonnullos aureos Nummos aureo circu-*

lo

lo obductos, & circumclusos cum ansula, sive anulo, catenulae quidem antiquitus nexos vidimus ad eumdem usum, virtutis & honoris insignia. Torquibus vero fuisse donatos milites a Claudio bello Brittannico, testis est Inscriptio Gavii Primipilaris apud Gruterum, cui adstipulatur Tacitus: Secuti, & triumphalia ornamenta eodem bello adepti; sed ceteri pedibus in praetexta, Crassus frugi equo phalerato, & in veste palmata. *Antonius Augustinus, in ceteris oculatissimus, non vidit in hoc Nummo, bullam e collo pendentem velamen esse, quo Pax oculos obducit: asseruit etiam anguem belli, odiique indicem: quam opinionem satis superque exprobravit Tristanus contra doctissimum Gevartium in additamento ad ejus primum Tomum. Erizus per anguem Regionem intelligi autumat, & sic Britanniam a Claudio devictam: quam etiam opinionem & nos in Augusti argenteo Nummo 1. sequuti sumus.*

138. Antica hujus Nummi pars extat num. 139. In postica, quam heic damus, legitur, DE GERMANIS S. C. *Duo clypei cum vexillo, & aliis signis militaribus*. Sunt Germanorum arma, de ipsis a Nerone Claudio Druso Claudii Imperatoris Patre Romae in ovatione lata, de quibus diximus num. *69.*, & ali-

& alibi. Hic typus Decreto Senatus a Monetariis in memoriam Patris ejus, ut & Arcus triumphalis, in Claudio renovatus est. Vide Vaillantium *Num. Imp. Rom.* Tom. 1. pag. 18., & Tom. 2. pag. 54. Eadem epigraphe DE GERMANIS, visitur etiam in Nummo Germanici fratris Claudii, cum Labaro, apud Occonem pag. 99.

139. Nummus Ti. Claudii cum epigraphe, TI. CLAVDIVS CAESAR AVG. P. M. TR. P. IMP. P. P. *Caput Claudii laureatum*. Patinus *de Num. Imp. Rom.* pag. 97. *Claudius* (inquit) *Germanici frater Lugduni natus anno V. C. DCCXLIII. patre Druso, matre Antonia, annum agens quinquagesimum, regnare coepit. A Praetorianis militibus e latebris extractus, primus Imperium mercatus est, promittens singulis militibus quatuor dena sestertia &c.* De eo extat haec Inscriptio Ravennae, apud Gruterum *Inscript.* p. 237. num. 5. TI. CLAVDIVS DRVSI F. CAES. AVG. GERM. PONT. MAX. TRIB. POT. II. COS. DESIG. III. IMP. III. P. P. DEDIT OB MEMORIAM PATRIS SVI &c. Vide Museum Arschotanum Tab. 19. num. 2. Bellorium pag. 32. num. 8., Gesnerum Tab. 41. num. 36., Mediobarbum pag. 81., Vaillantium *Num. Imp. Rom.* Tom. 1. p. 18., & Mufel-

fellium Tom. 1. Tab. 18. ac Tom. 3. pag. 64. Postica hujus Nummi exhibetur n. 138.

140. Nummus Ti. Claudii. In antica, TI. CLAVDIVS CAESAR AVG. GERM. In postica, LIBERIS AVG. COL. A. A. P. *Liberis Augusti* Claudii (nempe Britannico, Antoniae, & Octaviae) *Colonia Augusta Aroe Patrensis*. Caput pueri, inter duo capita muliebria, cornucopiae hinc & inde imposita. Vide Harduinum pag. 384. Vaillantius *de Coloniis* Tom. 1. pag. 159. *Patrensis Civitas* (inquit) *Achajae caput, ut aliquo modo se Imperatori gratam praeberet ob singularem erga Provinciam affectum, quam Suetonius Patribus conscriptis commendasse narrat, postquam ipsam iis reddidisset, ut liquet ex Dione lib. 60. pag. 680* (Achajam, & Macedoniam jam inde a Principatu Tiberii Praesidibus electis administratas sorti reddidit), *Nummos suos Claudio, & ejus Liberis dedicavit. Caput puerile, Britannicus est, infelix ille Princeps, & a sinistris Octavia ejus soror, quos ex Messalina Claudius sustulit: a dextris Antonia est, quam ex Aelia Petina ante habuerat: utramque viris traditam anno U. C. 795. narrat Dio in Claudii Vita pag. 668*: Filias duas eodem hoc anno, unam L. Junio Silano, alteram Cn. Pompejo Magno nuptum tradens.

INDICULUS TABULAE II. SAECULI I.

Antonia Cn. Pompejo Magno, deinde Fausto Syllae nupsit, quos Claudius interfici jussit: Octavia vero Sylano desponsata quidem, sed, illo a Vitellio Censore e Senatu ob sororis amores falso objectos moto, morique postea coacto, Neroni anno U. C. 805. uxor data est. Omnes hi Liberi Claudio patri ex Tacito Annal. lib. 12. superstites. Petrus Bellorius *in Adnotat. XII. Caesar.* p. 33. num. 19. paria scribit: *In honorem Liberorum Claudii, quorum vultus expressi sunt in Nummo. Hinc Antonia nata ex Aelia Petina, inde Octavia, in medio Brittannicus, a Claudio suscepti ex Messalina. Infra duo copiae cornua, ad indicandam Saeculi Imperiique felicitatem, & prolis ubertatem: nam sobolis propagandae ex Augusti instituto optimas leges sanxit Claudius: constituit vacationem legis Papiae Poppeae, & jus trium vel quatuor Liberorum; quamvis ipsi infausta ac funesta matrimonia.* Demum Patinus p. 99. de hujus Nummi postica haec habet: „ Eandem Coloniam Aroam Augustam Patrensem iterum vides, cui si Nummi integritatem adjunxeris, Claudiique Liberos sese invicem respicientes, haud dubie praestantissimum monumentum censebis. Quaenam sunt tria illa capita, adolescentuli, & duarum puellarum utrinque, ex Suetonio *in Claudio* c. 27. colligere licet: *Liberos* (inquit) *ex*

ex tribus uxoribus tulit Claudius : ex Urgulanilla Drusum, & Claudiam : ex Petina Antoniam : ex Messalina Octaviam : & quem primo Germanicum, mox Britannicum cognominavit. Drusum Pompejis impuberem amisit, pyro per lusum in sublime jactato, & hiatu oris excepto strangulatum, cum ei ante paucos dies filiam Sejani despondisset. Claudiam ex liberto suo Botere conceptam, quamvis ante quintum mensem divortii natam, aliique coeptam, exponi tamen ad matris januam, & nudam jussit abjici. Antoniam Cn. Pompejo Magno, deinde Fausto Sullae nobilissimis juvenibus, Octaviam Neroni privigno suo collocavit, Silano ante desponsatam. Britannicum vigesimo Imperii die, inque secundo Consulatu natum, sibi parvulum etiam tum, & militibus pro concione manibus suis gestans, & plebi, per spectacula gremio, aut ante se retinens, assidue commendabat, faustisque ominibus cum acclamantium turba prosequebatur. Cumque impubi teneroque adhuc, quando statura permitteret, togam dare destinasset, adjecit, ut tandem Populus Romanus verum Caesarem habeat. Tres postremos superstites Parenti Liberos hic Nummus exhibet „ .

141. Nummus Claudii, cum epigraphe, AGRIPPINA. AVG. GERMANICI CAE-

INDICULUS TABULAE II. SAECULI I.

SARIS. AVG. *Agrippina Augusta Germanici filia, Claudii Caesaris Augusti uxor*. Caput Juliae Agrippinae Germanici Filiae, Claudii neptis, & sextae ejus uxoris. Vide Vaillantium *Numism. Imp. Rom.* Tom. 1. pag. 20., & Laurentium Patarolum *in serie Augustorum & Augustarum* pag. 9. Haec Agrippina Claudii uxor, fuit alterius Agrippinae filia, illius nempe, quae genuit Caligulam, Drusum & Neronem, feminas autem Liviam, & Drusillam. Postica hujus Nummi habetur sequenti numero 142.

142. Nummus Agrippinae Claudii, cum epigraphe in postica CERES. AVGVSTA. S. C. Figura muliebris, sinistra facem, dextra spicas gerens. Ceres, Proserpinae mater, quae raptam a Plutone filiam quaesivit face. Spicae, significant Claudii in annonae procuratione diligentiam, post exortam famem illam praedictam ab Agabo, de qua Pagius *in Critica ad annum* 42. num. 7, & *Chronicum* ad annum 47. pag. 109. Vide Vaillantium *Numism. Imp. Rom.* Tom. 1. pag. 20, Angelonum pag. 42., Gesnerum Tab. 42. num. 10., Harduinum pag. 717., Mediobarbum pag. 81., & Musellium Tom. 1. Tab. XVII. num. 8. ac Tom. 3. pag. 64. Antica pars hujus Nummi exhibetur supra numero 141.

143. Num-

143. Nummus Messalinae, qui extat apud Vaillantium *de Coloniis* Tom. 1. pag. 162. Legitur in antica, quam heic exhibemus, VALERIA. MESSALINA. AVGVSTA, Barbati Messalae filia, quinta uxor Claudii, mater Octaviae & Britannici. *Messalinae Nummi* (inquit laudatus Vaillantius) *ex omni metallo, & forma, eximiae & singularis elegantiae sunt, & raritatis: aurei, argentei, imo & aerei*, Senatus Consulto *cusi non observantur. Senatus, auctoritatis suae adhuc nimium studiosus, Imperatorum uxoribus Nummos non dedicabat: &, si Dioni fides adhibenda, Messalina Augustae nomen sero habuit. Scribit enim lib. 60.* neque Messalinae, Augustae nomen dari passus est. *Hunc vero titulum forsan Senatus post Britannicam Expeditionem cum aliis honoribus ab ipso ei tributis concessit, quem Coloni ipsi blandientes in ejus Nummis imposuerunt.* Vide Angelonum p. 49. num. 14., & Patinum p. 106. *In Novo Thesauro veterum Inscriptionum* Cl. Muratorii pag. CMXIV haec rara habetur Inscriptio, quae exstat Romae in Museo Lapidario fel. record. Marchionis Capponii:

SABBIO . PVP. VALER.
MESSALINAE . DISP.
HIC . SITVS
VIXIT. ANN. XXX.

144. Num-

INDICULUS TABULAE II SAECULI I.

144. Nummus Claudii, cum epigraphe in antica ANTONIA AVGVSTA: in postica vero, quam hoc numero exhibemus, TI.CLAVDIVS. CAESAR. AVG. P. M. TR. P. IMP. P. P. S. C. Figura stans Sacerdotali habitu velata, quae dextra simpulum tenet. Petrus Bellorius in *Adnot. in XII. Caesar.* pag. 33. num. 16., & Patinus *de Num. Imp. Rom.* pag. 81 Imperatorem Claudium habitu Pontificali indutum repraesentari putant. Sed cum haec Antonia (quae minor est, & M. Antonii ac Octaviae majoris filia) teste Dione lib. 59 a C. Caligula nepote Augusta & Sacerdos Augusti facta fuerit (ut etiam ejus Pater, de quo supra num. 83. & 84.), & dein Vestalium numero adscripta, tandemque iisdem honoribus, qui Liviae Augustae Senatus Consulto delati fuerant, insignita, libentius crederem, in hoc Nummi typo Antoniam Sacerdotem exhiberi, & Claudium Senatus decreto eundem Nummum cudi jussisse in memoriam Drusi majoris Patris sui, & Antoniae ejus uxoris. Extat marmor eximium in Capitolio, relatum in nostra Tab. 2. Saec. 1. num. 157., atque editum a Grutero pag. 236. num. 9., in quo inter cetera sic legitur,

ANTONIAI AVGVSTAI

DRVSI (Conjugi)

SA-

. SACERDOTI DIVI AVGVSTI
MATRI TI. CLAVDII CAESARIS
AVG. P. P.

Vide alias duas ejusdem Antoniae Augustae Inscriptiones apud Muratorium *in Novo Thesauro Veterum Inscript.* pag. 256. & 996., ac Josephum *Antiq. Judaic.* lib. 18. cap. 8., denum Valerium Maximum, qui Antoniam Augustam summis laudibus extulit: scribit enim lib. 4. cap. 3. *Femina laudibus virilem Familiae suae claritatem supergressa, amorem mariti egregia fide pensavit; quae, post ejus excessum, forma, & aetate florens, cubiculum socrus pro conjuge habuit, in eodemque thoro alterius adolescentiae vigor extinctus est, alterius viduitatis experientia consenuit.* Extat hic Nummus apud Vaillantium *Numis. Imp. Rom.* Tom. 3. pag. 106., & Musellium Tom. 1. Tab. 2. num. 6.

145. Nummus Neronis Caes. Principis Juventutis cum epigraphe, NERO CLAVD. CAES. DRVSVS GERM. PRINC. IVVENT. & in postica, SACERD. COOPT. IN. OMNI. COL. SVPRA. NVMER. S. C. *Sacerdos cooptatus in omnia Collegia supra numerum Senatus Consulto.* Heic Drusum Germanici filium designari, Gutherius, aliique falso existimarunt: nam Tiberius Neronem ma-

INDICULUS TABULAE II SAECULI I.

majorem natu filiorum Germanici Pontificem creavit ex Tacito lib. 2. *Annal.* Ejus vero fratrem Drusum in Collegium Augurum adscripsit ex Suetonio in Caligula cap. 12. Itaque ibidem designatur Nero, a Claudio Imperatore Agrippinae matris artibus adoptatus & Princeps Juventutis factus, cum Trojae lusum exhibuit, teste Suetonio *in Nerone* cap. 7. Ex ea vero adoptione Nero Claudii nomen, & cognomina, ac quatuor Collegiorum Sacerdotia accepit, ut palam fit ex Inscriptione posita in hac Tabula num. 157. ac edita a Grutero pag. 236. in qua inter cetera legitur,

NERONI
CLAVDIO. AVG. F. CAISari
DRVSO GERMANICo
PONTIF. AVGVRI. XV. ꟻIR. S.
VII. ꟻIR. EPVLONi
COS.
PRINCIPI IVꟻENTVTis.

Nero igitur heic exhibetur, qui ex Julia stirpe ultimus imperavit, & a Claudio factus est Pontifex, Augur, XVvir sacris faciundis, & Septemvir Epulo. Vide Noris. *de Cenot. Pis.* Diss. 2. p. 193. & 194., & nostrum Indiculum n. 53., ubi multa adnotavimus de titulo Principis Juventutis. Extat hic nummus apud Vail-

Vaillantium *Num. Imp.* Tom.2. p. 56. & 59., Museum Arschotanum Tab. 20. num.6., Begerum Col. 2. pag. 623., Gesnerum Tab.44. num. 44., Mediobarbum pag. 88., & Musellium Tom. 1. Tab. 20. num. 8. ac Tom. 3. pag. 67.

Indiculus Tabulae II. Saeculi I.

146. Nummus Claudii. Ejus anticam vide numero sequenti. In postica, quam heic exhibemus, ista habetur inscriptio, NERO. CLAVDIVS. DRVSVS. GERMAN. S. C. Visitur in typo Triumphalis Arcus, cum Equestri Statua, & Germanorum spoliis, Druso patri positus, de quo supra in Indiculo numero 71. Suetonius, *in Vita Claudii*, ejusdem Drusi majoris filii, hujus Arcus meminit: *Praeterea Senatus inter alia complura marmoreum Arcum cum Tropaeis Via Appia decrevit, & Germanici Cognomen ipsi, Posterisque ejus.* Et Ovidius lib.I. Fast.

Et mortem, & nomen Druso Germania fecit. Vide Fabrettum *de Aquis, & Aqueduct.* Diss. I. pag.40. Hunc Drusum Neronem (Tiberii Imperatoris fratrem, Tiberio Claudio Nerone genitum) enixa est Livia tertio mense, quo tum gravida desponsata fuit Augusto. Hujus Arcus memoriam Claudius filius in Nummo restituit. Nummi nostri (de quo agitur in hoc num.146.) fidem (inquit laudatus

INDICULUS TABULAE II. SAECULI I.

Fabrettus *de Aquis*, & *Aquaeduct.* in eadem Diss.I.p.46.)faciunt schedae Cl.Viri Francisci Gottifredi, magni illius & fidelissimi Rei Nummariae Promicondi; benigne exemplar suggerente, oculorum lumine capto, sed animi lynceo, Francisco Camelo &c. Mox idem Fabrettus hunc Nummum illustrare, simulque historiam Arcus Neronis Drusi in multis supplere nititur ex alio Nummo perfecte integro,& distincto, quem in Museo Septalio extare didicerat a Nobiliss. Viro Francisco Comite Mezabarba Birago, cum capeduncula intra tympanum, duobus utrinque ad latus ejus lituis, & versus extrema, sed eadem altitudine, patera ad dextram, ad sinistram vero urceolo, insculptis,atque eo propemodum ordine distributis, quo in Tabula XCVI. Oiselii subobscure haec instrumenta expressa videmus.Hinc recte infert,Augurem fuisse Drusum ex lituo (*quod clarissimum insigne Auguratus* vocat Cicero *de Divinitat.*lib.1.),quamvis Historia de hoc ejusdem honore minime loquatur, & Dio (apud quem lib.54. plura de Druso), atque Suetonius *in Claudio* cap. 1 Quaesturam, Praeturam Urbanam, Triumphales honores, Ovationem, Consulatum, & Proconsulare Imperium tantummodo referant. Licet autem Nummus, quem cum Arcu

cu Drusi heic exhibemus, a Ti. Claudio Caesare ejus filio cusus sit, non ideo tamen Arcum ab ipso Claudio erectum, ornatumque dicendum est, sed Augustum habet auctorem, ut ostendimus supra in allegato Indiculo num. 71. Extat hic Nummus apud Vaillantium *Num. Imp. Rom.* Tom. 3. pag. 106., Bellorium pag. 32. num. 5., Museum Arschotanum Tab. 19. num. 14., Begerum col. 2. pag. 261., Erizzo pag. 202., Gesnerum Tab. 42. num. 2., Mediobarbum pag. 82., Nummophilacium *Reginae Sueciae* Tab. 4. num. 6., & Musellium Tom. 1. Tab. 11. num. 5. ac Tom. 3. pag. 65.

147. Nummus Claudii, cum epigraphe CLAVDIVS CAESAR AVG. GER. *Caput Tiberii Claudii laureatum*. Extat apud Vaillantium *Num. Imp. Rom.* Tom. 3. pag. 106. Item in Museo Arschotano Tab. 19. num. 18., & apud Bellorium pag. 34. num. 2., Harduinum pag. 720., Mediobarbum pag. 84., & Musellium Tom. 1. Tab. 19. num. 7. ac Tom. 3. pag. 66. Postica hujus Nummi habetur in hac Tabula numero praecedenti.

148. Nummus Claudii, cum Arcu Triumphali, tropaeis, & epigraphe DE BRITANNIS. Plinius lib. 3. sect. 20. scribit, *Claudius Caesar e Britannia triumphans, praegrandi illa do-*

mo, verius quam navi, intravit Adriam. Paria habet Dio laudatus ab Harduino in notis ad eum locum: Tranquillus etiam in Claudio, *cum decretis sibi a Senatu ornamentis triumphalibus leviorem majestati principali titulum arbitraretur, velletque, justi Triumphi decus unde acquireret, Britanniam potissimum elegit... ac sine ullo praelio, aut sanguine, intra paucissimos dies, parte Insulae in deditionem recepta, sexto, quam profectus erat, mense Romam rediit, triumphavitque maximo apparatu*. Et Aurelius Victor item in Claudio, *Britanniae partes contusae, quam solam adiit, Ostia profectus mari &c.* Vide *Chronicum* ad ann. Aerae Christi Vulgaris 44. pag. 102. Extat hic Nummus apud Vaillantium *Num. Imp. Rom.* Tom. 2. pag. 53. cum epigraphe in antica, TI. CLAVD. CAESAR AVG. P.M.TR.P.VI. IMP. XI. Item apud Aeneam Vicum Parmensem, & Pedrusium Tom. 1. Tab. 4. num. 2. pag. 60. Tribunitiam Potestatem Sextam iniit Tiberius Claudius anno Aerae Christi Vulgaris 46. IX. Kal. Februarii.

149. Inscriptio Claudii. Extat in Amrathi Castro, ut scribit Marchio Scipio Maffejus in Museo Veronensi pag. 453. numero 6. Sextus Julius Frontinus *de Aquaeductibus Urbis Rom.* Art. v, *Nunc autem* (inquit) *in Ur-*

Urbem influunt Aquae Appia , Anio vetus , Marcia , Tepula , Julia , Virgo , Alsietina , quae eadem vocatur AUGUSTA, Claudia, Anio vetus. Et infra Articulo XI. : *Quae ratio moverit Augustum , pervidentissimum Principem, producendi Alsietinam Aquam , quae vocatur AUGUSTA , non satis perspicio , nullius gratiae, immo etiam parum salubrem, & nusquam in usus Populi fluentem.* Cum nullo loco in Castra, in Opera publica , in Lacus aqua Alsietina erogari dicitur a Frontino , ipse ita est intelligendus; nullibi fluxisse in usus Populi assidue , ut fluebant aliae Aquae : quamvis autem non flueret assidue , aliquando tamen (ut inferius ipsemet admonet) contingebat , ut flueret *ex necessitate in subsidium publicorum salientium* , quoties pontes reficiebantur . Ceterum haec Aqua in privatos usus dabatur , ut identidem infra ipse Frontinus narrat , parte ejus *hortis subjacentibus , & privatorum usibus ad irrigandum concessa* . Dicitur *Augusta* in marmore , quod illustramus , quia inventa fuit jussu & auspiciis Augusti; ut narrat idem Frontinus Art. XIII. Dicitur item Claudia, ob *Augustae fontem* (prosequitur iterum Frontinus art. XIV.) , *qui , quia Marciam sibi sufficere apparebat , in Claudiam derivatus est, manente nihilominus praesidiario in Marciam ; ut*

INDICULUS TABULAE II. SAECULI I.

ut ita demum Claudiam Aquam adjuvaret Augusta, si eam Ductus Marciae non caperet. Structuram, qua aedificatus fuerat Ductus Augustae ea ratione, ut Aqua Augusta in rivum Marciae semper influeret, si Marcia indigeret; si vero non, Claudiam Aquam influeret, atque adjuvaret, exhibet Doctiss. Joannes Polenius in Commentario ad memoratum Frontinum art. XIV. pag. 54., quem consulas velim etiam pag. 20. art. V. num. 11. & pag. 138. art. LXXIII. num. 14. & 15. Exstat Inscriptio apud Fabrettum in libro *de Aquis & Aquaeduct.* pag. 96. num. 182. cujusdam Castellarii Aquae Claudiae. En vero quomodo habeat,

D. M.
CLEMETI (*sic*). CAESAR
VM. NN. SERVO
CASTELLARIO
AQVAE. CLAVDIAE
FECIT. CLAVDIA
SABBATHIS
ET. SIBI. ET. SVIS.

De Castellariis Frontinus art. CXVII. scribit: *Caesaris Familiae numerus est 460, quam Claudius, cum Aquas in Urbem perduceret, constituit: utraque autem Familia in aliquot ministeriorum species deducitur: Villicos, Castel-*

stellarios, *Circitores*, *Silicarios*, *Tectores*, *aliosque opifices*. Castellariorum munus fuisse versari circa ea, quae ad Aquarum Castella pertinebant, ex ipso eorundem nomine satis liquet. Ex Inscriptione vero *comprobari Frontini dictum*, *Aquariorum Familias duas esse*, *alteram publicam*, *alteram a Ti. Claudio Caesare constitutam*, scribit Pignorius in Comment. *de Servis*. Sed aperte falsum est, ex eadem Inscriptione quicquam de publica Aquariorum Familia a Claudio Caesare constituta comprehendi posse, ut adnotavit idem Polenius pag. 201. num. 25. Aliud deinde marmor laudatus Fabrettus evulgat ex insigni Museo Gasparis Card. de Carpineo, citata pagina, & numero insequenti, quod Villicorum Aquae Claudiae meminit,

D. M.
SABBIO CAES. N. S.
VILIC. AQVAE. CLAVDIAE
FECIT. SIBI. ET. FABIAE
VERECVNDAE. CONIVG.
SVAE. CVM. QVA. VIXIT
ANNIS. XXIV. SANCTISSI
MAE (*sic*). ET. LIBERTIS. LIBERTA
BVSQ. EIVS. ET. VIKARIS
SVIS. POSTERISQVE. EO
RVM.

INDICULUS
TABULAE II.
SAECULI I.

RVM . OMNIVM . IN
PARTE . DIMIDIA . SVA .

D. M
SPORVS . CAES. N̄. S.
VILIC. AQVAE . CLAVDIAE
FECIT . SIBI . ET . CLAVDIAE
HERMIONE . CONIVGI
SVAE . SANCTISSIMAE
ET . LIBERTIS . LIBERTA
BVSQ. EIVS . ET . VIKARIS
SVIS . POSTERISQVE
EORVM . OMNIVM
IN . PARTE . DIMIDIA . SVA

Villici vocabulum ad quemcumque refertur dispensatorem. Verum in re Aquaria *Villicus* erat is, qui calices & fistulas aptabat collocabatque, teste Frontino articulo 112. *Ampliores* (inquit) *quosdam calices, quam impetrati erant, positos in plerisque Castellis inveni; & ex iis aliquos ne signatos quidem. Quotiens autem signatus calix excedit legitimam mensuram, ambitio Procuratoris, qui eum signavit, detegitur: cum vero ne signatus quidem est, manifesta culpa omnium, maxime accipientis, deprehenditur, deinde Villici*. Igitur pertinebat ad *Villicum* calicum collocatio. Maxima enim culpa erat accipientis aquam;

aquam ; & huic proxima esse debuit culpa altera conferentis aquam ipsam, nimirum collocantis calicem. Sed altera haec culpa Villicis a Frontino tribuitur:ergo Villicorum erat calices collocare. Legendum in lapide,de quo agitur hoc num. 149. AVG. DIVVS CAESAR, *non* AVG. DRVSVS CAESAR.

150. Inscriptio Claudii. Gruterus pag.39. num. 1 de eadem haec literis consignavit: „ In Castro APPOLLINIACO, sortito nomine, ut fertur, ab Apolline, in Provincia Velaunia, vulgari patrioque sermone VELAI nuncupata, in confinio Arvernorum sita, extat etiamnum hodie Turris antiqua, quam verisimile est fuisse membrum Templi cujusdam, in cujus pariete visitur haec inscriptio,

TI. CLAVDIVS. CAESAR. AVGV. GERMANICVS. PONT. MAX. TRI. POTEST. V. IMP. XI. P. P. COS. IIII.

Unde probabile est,Claudium Caesarem Lugduni natum, illuc profectum Oraculi Apollinis consulendi gratia (ubi Numen ipsius colebatur sub forma Capitis Sphaerica, ore hianti, radiis tanquam Solaribus circumdati, oculisque prominentibus), cujus Idolum in lapide vetustissimo coloris subcaerulei, altitudinisque circiter V. pedum insculptum visitur : ideoque verisimile est, illam tunc tem-

INDICULUS TABULAE II. SAECULI I.

poris Inſcriptionem a Tiberio Claudio illic relictam, aut vero temporis ſucceſſu ad faſtigium Imperii evecto, ab incolis (quandoquidem rerum potiretur) memoriae aeternae gratia collocatam fuiſſe. Simulacri autem deſcripti repraeſentatio, ab ANTONIO VERDERIO Vallisprivatae in agro Seguſiano (Vulgo FORESTS) Domino, ad Gruterum miſſa, hujuſmodi eſt. Fertur etiam, ex Familia Dominorum Vicecomitum hujuſce Caſtri Polliniaci, ſeu Appolliniaci, C. Sollium Sidonium Apollinarem originem traxiſſe „.

151. Inſcriptio Claudii, de qua Marchio Scipio Maffejus in Muſeo Veronenſi pag. 96. num. 5. haec literis conſignavit. „ Templi Claudio Imperatori ſacrati,& Collegii ad Imperatoris majeſtatem colendam conſtituti, huic nunquam agnitae, quod ſciam, Inſcriptioni notitiam debemus. De Claudio ceteroquin inter Divos relato optime Panvinius in libro II.Faſtorum.Numini Dominorum,ut *Numine Divum* Virgilius. Raro tot annos vitae priſca, aut recentia monumenta conſignant. V.V.V. literae ſingulariae hactenus nunquam viſae. Quomodo intelligi debeant, Servius me docet: *Dici mortuis ſolet, Vale. Vale. Vale*. ad Aen. II. 644. „. Vide quae nos adnotavimus ſupra in Indiculo num. 124. 129. 130.,&

130., & 132. de Claudio relato inter Divos.

152. Protome Claudii Imperatoris fratris Germanici, filii vero Neronis Claudii Drusi, ex marmore Capitolino. Suetonius in ejus Vita ita bardi capitis, corporisque lineamenta describit : *Auctoritas dignitasque formae non defuit vel stanti, vel sedenti, ac praecipue quiescenti. Nam & prolixo, nec exili corpore erat, & specie, canitieque pulchra, opimis cervicibus: ceterum & ingredientem destituebant poplites minus firmi, & remisse quid vel serio agentem multa dehonestabant: risus indecens: ira turpior, spumante rictu, humentibus naribus: plectra linguae titubantia, caputque cum semper, tum in quantulocumque actu vel maxime tremulum.* Claudii stuporem Juvenalis quoque Satyra VI. vers.620. hisce carminibus expressit,

..... minus ergo nocens erit Agrippinae
Boletus, siquidem unius praecordia pressit
Ille senis, tremulumque caput descendere jussit
In Caelum, & longam manantia labra salivam.

Vide etiam Senecam *de Morte Claudii*, Suetonium in ejus Vita c. 44., Plinium Hist.lib. 22. cap. 22., Dionem lib. 60. pag. 688., & Museum Capitolinum Tom. 2. pag. 14.

153. Inscriptio(ni fallor)M.Aurelii Antonini Caracallae, quae incipit Titulo BriTAN-

NICus, signata Trib. Potest. XVIII. Cos. IV. Imp. III. nempe anno Aerae Christi Vulgaris 215. Vide Chronicum Patrui mei Tom. 2. *Anast. Bibl.* ad hunc annum;& ad sequentem, Pagium. Posita fuit ante Aram, nescio cui Numini erectam, ab Imp. Claudio, & a Septimio SeVERO Patre ejusdem Caracallae restitutam, quae reperta est fronte mutila in ruinis Armamentarii prope Lugdunum Batavorum, ut scribit Gruterus pag. 270. num. 5.

154. Inscriptio Claudii, quam misit Cl. Muratorio Dominicus Bricherius Columbus vir eruditus. Exstat Vindebone in lapide praegrandi marmoreo inciso variis figuris, supra quod leguntur haec verba, in nostro iconismo omissa, atque in edito malefida.

TI. CLAVDIO KAKO. VIX. ANN. VIII. MEN. XI.
DIEB. V.

infra vero leguntur haec alia

TI. CLAVD. ATTICVS. FR.
CVLTVRA. AMARAE. FRATRVM. ITEM
OLL. IIII. OICI. MAGNI. ATTICVS. ADSICMBIS
ISSTA RITAT

Animadverte interjectas literas supra, & infra, videlicet TI. CLAVDIO. KAKO. VIX. ANN. VIII. MEN. XI. DIEB. V. Hisce respondent infra positae, TI. CLAVDIVS. ATTICVS.

CVS. FR.Adjectae in calce,fortassis ita legendae sunt: CVLTVRAM. ARAE FRATRVM. ITEM. OLL. IIII. VICI. MAGNI. ATTICVS. ADSIG. (ideft adſignavi) MEIS. LIB. LIBERTAB.In hacInſcriptione*Claudiae Eglectae*,pro PARENTIS, nemo non videt legendum PARENTES.Habes heic*Antoniam Divi ClaudiiAugusti Filiam* Cn.Pompejo nuptam. Vide Muratorium *in Novo Theſauro veterum Inſcript.* pag.2056.

155. *Aquae Virginis* Inſcriptio poſita a Claudio Imp. quam Mazochius, & Smetius deſcripſere in Hortulo Colotiano, atque edidit Gruterus pag. 176. num. 5. Frontinus *de Aquaeduct. Urbis Romae* artic. 10, de Aqua Virgine haec ſcribit: *Idem* (Agrippa) *cum jam tertium Conſul fuiſſet, C. Sentio Q. Lucretio Conſulibus poſt annum XIII. quam Juliam deduxerat, Virginem quoque in Agro Lucullano collectam Romam perduxit: dies, quo primum in Urbe reſponderit, V. Idus Junias invenitur. Virgo appellata eſt,quod quaerentibus aquam militibus, puella virguncula venas quaſdam monſtravit; quas ſecuti qui foderant, ingentem aquae modum invenerunt. Aedicula fonti appoſita hanc originem pictura oſtendit.* Praeterire tamen non poſſum, ab aliis

INDICULUS TABULAE II SAECULI I.

aliis alias causas nominis hujusce Aquae Virginis fuisse prolatas. Sunt qui dicant, Cassiodorium affirmasse, huic Aquae a puritate nomen inditum: sed id Cassiodorius indicavit quidem, non praecise affirmavit. En ipsius verba in Variar. lib. 7. cap. 6. *Currit Aqua Virgo sub delectatione purissima, quae ideo sic appellata creditur, quod nullis sordibus polluatur*. Plinius vero lib. 31. cap. 3. scribit, eam appellatam *Virginem*, *quia juxta est Herculaneus rivus, quem refugiens haec ipsa aqua Virginis nomen obtinuit*. Sed in hac re, inquit Doctiss. Polenius *in Frontini Comment.* pag. 45., potior esse debet Frontini auctoritas: namque ab illis obiter, ab hoc autem consulto Aquarum historia tractata est. Accedit testimonium Picturae, de qua supra. *Arcus Virginis*, ait idem Frontinus Articulo 22., *initium habent sub Hortis Lucilianis: finiuntur in Campo Martio secundum frontem Septorum*. Ubi fuerint hi Horti, nemo Antiquorum tradit. Sed vetera vestigia ductus Aquae Virginis ostendunt, Ductum illum tetendisse ad Hortulorum Collem: atque inde colligitur, Arcum Virginis initium habuisse juxta declivitatem ipsis Collis. Jo: Vignolius in Dissertatione *de Columna Imper. Antonini Pii* pag. 27. haec scribit: *Arcus Aquae Virgi-*

ginis Ductus, qui sub Colle Hortulorum initium habebant, & Viam Latam a Flaminia dividentes, inde semitam, quae a Quirinali ad Pantheon ducit, occupabant. Immo quoties ex Donato lib. 3. cap. 18., & ex Nardino lib. 4. cap. 9. tanquam res omnino comperta habeatur, quod iidem Aquae Virginis Arcus inter Templum S. Ignatii, & Pantheon terminabantur, jam non ultra ex eorundem quoque sententia Septa processisse fateri oportet &c. ut a Frontino proditum est. Ibi vero emergebant Aquae, ubi desinebant Arcus. Hos disturbavit C. Caligula (quia nimirum Amphiteatrum juxta Septa inchoaverat), quos Claudius perfecit inita Trib. Pot. V., nempe anno Aerae Christi Vulgaris 45. Vide Pitiscum *in Lexico Antiquitatum Romanarum*, verbo *Citorius*, qui, post Gruterum pag. 176. num. 5., refert hanc Inscriptionem, quam illustravimus.

156. Inscriptio Claudii edita a Muratorio *in Novo Thes. Veter. Inscript.* p. 2006. num. 6. Cippus milliarius est, repertus in Agro Bracarensi, consignatus Trib. Potest. III. quam Claudius iniit anno Aerae Chr. Vulg. 43. *Bracara Augusta*: de qua exstat apud Harduinum *in Nummis Antiq.* pag. 99. Caji, & Lucii Caesarum Nummus, cum epigraphe COL. B. A.

Co-

INDICULUS TABULAE II. SAECULI I.

Colonia Bracara Augusta, atque cum typo, tauri cornupetae signato effigie. Vide Mediobarbum p. 58. Plinius lib. 4. sect. 34. scribit, *Bracarum Oppidum Augusta*, (hodie *Bragues*, in Lusitania): & Ptolemaeus lib. 2. cap. 6. Βράκαρ Αὐγοῦστα. Apud Gruterum pag. 324., BRACARAVGVSTANI.

157. Inscriptio, Claudio imperante, Antoniae, Juliae, & Neroni dicata. Terentius Scaurus (ut inquit Emin. Norisius *de Cenotaphiis Pisanis* Tom. 3. Dissert. IV. cap. 4. col. 737.) *de Orthographia* pag. 2251. ait, Antiquos scripsisse *equom*, & *servom*, per *vo*; *quoniam*, inquit, *scierunt*, *vocalem non posse geminari*, *credebantque & hanc literam geminatam*; *utroque loco in sua potestate servari*, *ignorantes eum praepositam vocali*, *consonantis vice fungi*, & *poni pro ea litera*, *quae sit F.* At plane illud non ignorabant, sed ex modo V literam pronuntiandi, inferebant, non posse geminari, quin syllaba augeretur; ita ut vox *servus*, hanc pronuntiationem exigeret *ser-v-us*, quod ineptum judicabant. Et sane, cum Augusto imperante prior V pro consonante acciperetur, Claudius Imperator, quod rem satis dubiam apud plerosque animadverteret, Aeolicum digamma invexit, quod inversae literae Ⅎ forma exprimebatur. Ita in In-

Inſcriptione Antoniae, Juliae, & Neroni dicata (quam nos ex marmore Capitolino hóc numero 157. exhibemus), ipſe Nero appellatur XVꟻIR, VIIꟻIR, ac Princeps IVꟻENTVTis. Vide etiam aliam Inſcriptionem apud Gruterum pag. 1055, Claudio Cos. V. poſitam. Mortuo tamen Claudio, iterum dupplex VV reſtituta fuit, cum digamma omiſiſſent, cum Auctore demortuum, ex Tacito lib. 2. *Annalium*, qui de inventis a Claudio literis ait: *aſpiciuntur etiam nunc in aere publicandis Plebiſcitis per fora, ac templa fixo*. Verum Diomedes lib. 2. *de Arte Grammat.* capite *de litera*, digamma laudans, ait: *Hinc V item digamma adſcribi ſolet, ut cum ſibi ipſi praeponitur, ut SERꟻVS, ꟻVLGVS. Nam V literam geminari in una ſyllaba plurimi negant.* Paria habet Donatus item Grammaticus, qui ait, *ſerſum*, *corſum*, *ſulgus* ſcriptum fuiſſe, *pro ſervus*, *corvus*, *vulgus*. In Nummis quoque e magna Graecia Goltzii Tab. *35.* & *36.* occurrit ꟻ digamma Aeolicum, non tamen pro VV., ſed pro litera aſpera H, qua veteres olim uſi, ꟻORDEVM dixere pro HORDEVM, ꟻIRCVS pro HIRCVS, TRAꟻO pro TRAHO, & ſimilia. Doctiſſimus Montfauconius lib. 2. *Palaeographiae* cap. 1. pag. 122. Tabulam repraeſentat cum variis

INDICULUS TABULAE II. SAECULI I.

Samaritanis, sive Phoeniciis, atque Graecis formis Alphabeti, & cap. 3. in observationibus in singulas literas Graecas pag. 128 ait: *Secunda forma F, cum prima Samaritana sive Phoenicia, quae sic efformatur ࠅ, prorsus consentire videtur. Ad secundam hanc formam, F, quod est digamma Aeolicum, duo praesertim sunt annotanda: primo, eam literam apud Latinos non modo eodem ordine in alphabeto locari, atque Vau apud Phoenicas; verum etiam eundem pene sonum exprimere, quando consonantis vice fungitur: secundo, apud Aeolas digamma F, pro spiritu tam aspero, quam leni usurpatum fuisse, quod jam plerique observarunt.* De Inscriptione, quam hoc num. 157. illustramus, vide quae scripsimus supra numeris 144. & 145. Exstat in Aedibus Capitolinis super januam Cubiculi I. Reperta autem fuit in Via Lata, Romae, ante Aedes Alexandri Columnae, in area, quae tunc vocabatur *la Piazza di Zerra*, atque Grutero transmissa a Nicolao Florentio anno 1562. quam idem Gruterus edidit (sed mendose) pag. 236. num. 9., atque fracturam ejus supplere ac restituere aliquo modo conatus est Vir rei Lapidariae scientissimus.

158. Inscriptio votiva pro salute Claudii Imp. edita a Clar. Murat. *in Novo Thes. Vet. In-*

Inſcript. pag.304. num. 2. *Viatorum* (qui Senatores, quum cogendus erat Senatus, ex agro ciebant), mentio eſt in aliis Lapidibus. Ii poſtea veluti Lictores ad nutum Magiſtratuum adhibiti. *Scribae* quoque *Librarii* ſaepe in eiſdem ſaxis occurrunt. At nemo nos docuit, *Tiberium Claudium Auguſtum*, qui revera *Conſul* hoc anno Aerae Chr. Vulg. 43. proceſſit, *Deſignatum* quoque fuiſſe Conſulem in annum ſubſequentem. Dum certa ſit Inſcriptio haec (quae Romae extare dicitur a Ligorio in Vinea Papae Julii), notitiam hanc ei debemus. Nil mirum foret, ſi Claudius in expeditione Britannica poſitus, conſilium ineundi Conſulatus ſubſequenti anno depoſuiſſet. Vide *Chronicum* ad eundem annum pag. 100.

159. Ludi Saeculares, anno Urbis Conditae 800. celebrati ſunt a Tiberio Claudio Caeſare Conſule IV. & Lucio Vitellio III., anno videlicet Aerae Chriſti Vulgaris 47, de quibus Plinius lib. 7. cap. 48., Suetonius *in Claudio*, & Zoſimus lib. 2. Hic vero memoriae prodidit, quanta ſuperſtitione peragerentur, deſcribens nefarios ritus, qui adhibebantur ad expianda Urbis flagitia, delectumque puellarum, & puerorum, qui Hymnos, paeanaſque canerent, peterentque a Diis ſuis, ut

 Ro-

INDICULUS TABULAE II. SAECULI I. Romanos tuerentur, atque Imperii fines amplificarent. Ea de causa Horatius in hymno longe cultissimo de Ludis Saecularius ab Augusto editis anno U.C. 737. Solem, Dianam, Cererem, Ilithyam, Parcas celebrat precibusque fatigat Vates elegantissimus. In medium proferam, ommisso laudato Carmine, quae Zosimus lib. 2. literis consignavit: *Modus* (inquit) *Ludorum hujusmodi relatus est in literas. Circumeuntes praecones, universos Ludorum causa convenire jubebant ad spectaculum, quod neque vidissent antea, neque visuri posthac essent. Ipso autem messis tempore, perpaucis diebus antequam Ludi peragerentur, in Capitolio, Temploque Palatino XVviri sedentes in suggestu lustralia populo distribuebant. Ea sunt faces, & sulphur, & bitumen: nec participes horum servi sunt, sed liberi dumtaxat homines. Posteaquam populus universus, & in locis iis, quae diximus, & in Templo Dianae, quod est in Aventino Colle, convenit, triticum, & hordeum, & fabas quisque secum fert, ac Parcis nocturnos Ludos caste pudiceque faciunt. Ubi Ludorum tempus appetiit, quod tribus diebus totidemque noctibus in Campo Martio faciunt, hostiae propter ripam Tiberis ad Tarentum Diis consecrantur. His autem Diis* rem

rem sacram faciunt, videlicet Jovi, Junoni, Apollini, Latonae, Dianae: tum, praeter hos, Parcis, & Lucinis, & Cereri, & Diti patri, & Proserpinae. Prima nocte spectaculorum, ad horam secundam, tribus Aris in ripa Fluminis constructis, Imperator cum XVviris tres agnos caedit, & aris sanguine respersis solitas victimas adolet. Herodianus horum testis optimus lib.3, de Severo agens Annoque Saeculari ab eo celebrato anno U. C. 957., Libone & Chilone Coss, nempe Aerae Christi 204., haec scribit: *Vidimus item sub illo quosdam omnis generis Ludos cunctis editos theatris, simulque supplicationes, & pervigilia ad formam Cereris initiorum (Saeculares hi tunc appellabantur) celebratos, ut ajunt, decurso trium spatio aetatum. Siquidem Urbe tota, atque Italia praecones itabant, convocatum omnes ad Ludos, quos nec vidissent hactenus, nec visuri postmodo forent: ita scilicet intervallum praeteritae futuraeque celebritatis supra omnem esse hominu aetatem significantes.* Ut autem nostrum monumentum magis illustremus, ad ea quae narrat Victor de Caesaribus animum Lector adjungat: *Cum Pontificum* (inquit) *lege hostiae mactarentur, suis utero maris feminarum genitalia apparuere. Id Haruspices solutionem posterorum portendere,*

re, vitiaque fore potiora interpretati. Suem quoque a Severo Sacra peragente immolaram Anno Sæculari in Nummis videmus. In iis namque Sacris & Imperatores Pontificatu Maximo aucti, quandoque nigrum agnum, ac concolorem suem immolabant Telluri; quam tamen porco, & nigra sue piandam Anno Saeculari Sybilla praeceperat, ut Zosimus tradit,

αὖθι δὲ γαίῃ
Πληθομένῃ χοῖρός τε καὶ ὗς ἱεροῖτο μέλαινα.

Telluri porcus mactator cum sue nigra.
Huc spectat Horatius lib. 2. Epist. I.

Tellurem porco, Silvanum lacte piabant.
Nisi forte *porca* Poeta scripserit, ut aliqui putant. Accedit Macrobius lib. 1. *Saturnalium* cap. 12. *Sus praegnans mactatur, quae est hostia propria Terrae*: & Arnobius lib. 7. *Telluri matri ingens scropha immolatur foeta*. Vide quae scripsimus supra de Ludis Saecularibus numero 127, atque Iconismum editum a Fabretto Dissert. II. *de Aquis, & Aquaeductibus* pag. 106., cui ea, quae hactenus dicta sunt, plurimam lucem dabunt.

160. Ex Romanis Portis, quae temporis injuria dirutae non sunt, hodieque supersunt, illam, quam *Majorem* vocant, heic exhibemus: de qua, quoniam multa jam scripsimus in

in Libro Italico *delle Porte, e Mura di Roma*, nunc de tribus tantummodo Inscriptionibus, super eandem positis, loquemur. Prima haec est:

TI. CLAVDIVS. DRVSI. F. CAISAR
AVGVSTVS. GERMANICVS. PONTIF.
MAXIM. TRIBVNICIA. POTESTATE
XII. COS. V. IMPERATOR. XXVII.
PATER.PATRIAE.AQVAM. CLAVDIAM
EX. FONTIBVS. QVI. VOCABANTVR
CAERVLEVS. ET. CVRTIVS
A. MILLIARIO XXXXV.
ITEM.ANIENEM.NOVAM.A.MILLIARIO
LXII. SVA. IMPENSA. IN. VRBEM
PERDVCENDAS. CVRAVIT.

Frontinus *de Aquaeductibus Urbis Romae* Articulo XIII. inquit: *C. Caesar, qui Tiberio successit, cum parum & publicis usibus, & privatis voluptatibus septem Ductus aquarum sufficere viderentur, altero Imperii sui anno, M. Aquillio Juliano P. Nonio Asprenate Coss., anno Urbis Conditae* 789. *duos Ductus inchoavit: quod opus Claudius magnificentissime consummavit, dedicavitque, Sulla & Titiano Coss. anno post Urbem Conditam* 803 *Kalendis Augusti: Alteri nomen, quae ex fontibus CAERULO & CURTIO perducebatur,*

CLAU-

CLAVDIAE datum (haec bonitate proxima est Marciae): Altera, quoniam duae Aniones in Vrbem Aquae fluere coeperant, ut facilius appellationibus dinoscerentur, ANIO NOVUS vocari coepit: (alias omnes praecedit): priori ANIONI cognomentum VETERI adjectum. CLAVDIA concipitur Via Sublacensi, ad milliarium 38., diverticulo sinistrorsus intra passus 300. ex fontibus duobus amplissimis & speciosis, Caerulo (qui a similitudine appellatus est), & Curtio. Plinius lib. 36. cap. 15. Aedificiorum Urbis Romae mirabilia recensens, mentionem facit hujusce Claudii Operis, aitque, victos fuisse antecedentes Aquarum Ductus. Dedicatio, de qua Frontinus loquitur, erat, aliquid splendidum ac magnificum primo fabricae usu publice exhibere iis, quorum gratia fabrica perfecta erat. Itaque ab eodem Frontino indicatur tempus, quo primum, per Ductus a Claudio aedificatos, aqua in usus publicos privatosque hominum fuit perducta. Dedicantibus autem Publica Opera tributum erat inscribere Operibus nomen suum, ut ex magnifico Aquaeductu, cui supposita nunc est Porta quae Major appellatur (in schemate a nobis exhibita hoc numero 160.), liquet; cui ex utroque latere inhaeret supra relata Inscriptio, quatuor ibi versi-

verſibus comprehenſa. Olim tamen ſub eodem Aquaeductus Aedificio Portam non fuiſſe, locus indicat: ſubjectam vero demum fuiſſe eo tempore, quo Urbis muros a Gothis disjectos reſtituit Beliſarius, nonnulli Viri docti exiſtimant. Marlianus in Topographiae Urbis Romae lib. 4. cap. 11. haec habet: *Quod autem Frontinus ait, Claudiam concipi ad milliarium 38., Plinius vero a Lapide 40., intelligendum puto; alterum diſtantiam capere ab eo fonte, qui ab Urbe magis diſtaret; alterum ab eo loco, ubi ambo jungebantur*. Sed cum Fabrettus ſecundum Frontini diſtantias eos invenerit fontes, (ut ſcribit in Diſſert. II. *de Aquis & Aquaeductibus* num. 172. & 173.), quos Claudiae aquae fuiſſe veriſimillimum eſt, diſtantes ab invicem paſſus CXX., haud facile video, qua ratione compoſitio illa Marliani defendi queat. Melius fortaſſis dicemus, vel Plinium numero, ut ajunt, rotundo uti voluiſſe, cum id dumtaxat attenderet, ut magnam diſtantiam exhiberet; vel mendum aliquod in Plinii contextum irrepſiſſe, ſcriptumque fuiſſe numerum XXXX. pro XXXXV. Atque id mihi quidem pro certo eſt. Nam, ſi conferas Claudii Inſcriptionem paullo ſupra poſitam cum Plinii loco, in eoque numerum 45. pro 40. reponas, tan-

INDICULUS TABULAE II. SAECULI I.

tam profecto similitudinem inter Inscriptionem, & Plinii locum esse intelliges, ut facile suspiceris, Plinium ad eam Inscriptionem respexisse. En autem verba Inscriptionis, ad distantiam fontium pertinentia: *Claudius aquam Claudiam ex fontibus, qui vocabantur Caeruleus, & Curtius, perduxit a milliario* 45. ac en Plinii verba, *per aquarum Ductus Claudii, Curtius & Caeruleus fontes influxere a lapide* 45. Secunda Inscriptio, quae sub illa Claudii mox relata visitur *in* eadem *Porta Majori* Urbis, haec est:

IMP. CAESAR. VESPASIANVS. AVGVST.
PONTIF. MAX. TRIB. POT. II. IMP. VI.
COS. III. DESIG. IIII. P. P. AQVAS
CVRTIAM. ET. CAERVLEAM. REDVCTAS
A. DIVO. CLAVDIO. ET. POSTEA.
INTERMISSAS. DILAPSASQVE. PER. ANNOS
NOVEM. SVA. IMPENSA. VRBI. RESTITVIT.

Tertia denique ejusdem Portae Majoris (de qua loquimur hoc numero 160.) vetus Inscriptio habet,

IMP. T. CAESAR. DIVI. F. VESPASIANVS
AVGVSTVS. PONTIFEX. MAXIMVS
TRIBVNIC. POTESTATE. X. IMPERATOR
XVII. PATER. PATRIAE. CENSOR. COS.
VIII.

VIII. AQVAS. CVRTIAM. ET. CAERVLEAM PERDVCTAS. A. DIVO. CLAVDIO ET. POSTEA. A. DIVO. VESPASIANO PATRE. SVO. VRBI. RESTITVTAS. CVM A. CAPITE. AQVARVM. A. SOLO VETVSTATE. DILAPSAE. ESSENT. NOVA FORMA. REDVCENDAS. SVA. IMPENSA CVRAVIT.

Ex his postremis duabus Inscriptionibus constat, Ductum Aquae Claudiae bis post Claudii tempora fuisse refectum, & eandem Aquam nova forma reductam. Quare facile fieri potuit, ut sub Vespasiano ac Tito Ductus Claudiae refectus, longitudine auctus fuerit passibus 1406., ut scribit Doctissimus Polenius in Notis ad Frontinum Art. 14. pag. 55., atque hinc fieri etiam potuit, ut idem Frontinus, qui post Titi tempora Librum suum scripsit, eam Ductus longitudinem passuum 46406. tradiderit, quae erat vera longitudo, quando ille Curatoris munere fungebatur: praetermissa illa longitudine Claudii, quae post refectiones vera esse desierat. Tres autem hoc loco breves animadversiones laudati Polenii liceat apponere. Prima est, Aquam Claudiam praeditam etiam fuisse nomine *Aquarum Curtiae* & *Caeruleae* (neque enim haec esse

INDICULUS TABULAE II. SAECULI I.

duo nomina, Claudiam, atque Anionem designantia, mihi persuadeo). Secunda est, certissima conjectura manifestum fieri, ipsius quoque Anionis Ductum fuisse refectum; nam Ductus ejus quaedam pars opere supra terram communi cum Claudiae Ductu sustentabatur; & reputandum non est, ejus stabilitatem fuisse multo diuturniorem Claudiae stabilitate. Cur vero Anionis Novi refecti mentio non fiat, haud satis video: de ipsa tamen refectione dubitare minime possum. Tertia est, a tempore Aquaeductuum inchoatorum a Caligula, ad tempus refectionis, quam Titus fieri curavit, temporis spatium minus annis solidis 44. interfuisse: quare mirum sane videtur, tam brevi spatio bis oportuisse Aquaeductus illos refici; mirumque magis videtur, dici, *Aquas a solo vetustate dilapsas fuisse*. Cl. Montfauconius eandem admirationem concepit Tom. 3. part. 1. pag. 176. Tab. 96. *Antiq. Expliq.* scribens, *sane mirum videri posse, Aquaeductum a Claudio factum, a Vespasiano, cum novem annis intermissae aquae ac dilapsae fuissent, restauratum fuisse, qui Vespasianus post quintumdecimum annum a morte Claudii Imperatoris regnare coepit; quodque magis singulare videatur, post mortem Vespasiani, qui decem annis re-*

regnaverat, Titus, qui annis tantum duobus imperavit, dicit, Aquaeductum a Claudio factum, & a patre restauratum, vetustate a solo dilapsum, & a se nova forma reductum esse. Hinc autem colligimus, vastas illas Aquaeductuum moles fuisse conservatu perdifficiles, Scriptores vero Inscriptionum Imperatoribus assentari facile studuisse.

161. Nummus Claudii, cum epigraphe in postica PRAETOR. RECEPT. Imperator togatus, & Praetorianus, militari habitu dextras sibi jungentes. Claudius Augustus, frater Germanici, filius vero Neronis Claudii Drusi, a Praetorianis primum Imperator appellatus est IX. Kal. Febr. anno Aerae Chr.Vulg.41. Hujus rei memoria extat in hoc Nummo. Praetorianus aliorum nomine, dat Claudio manum, fidemque ei obstringit, cum singulis oppignoratus esset quindena HS. Vide Vaillantium *Num. Imp. Rom.* Tom. 2. pag. *56.* & quae nos supra adnotavimus in hoc Indiculo num. *136.*

162. Protome Juliae Agrippinae, Agrippinae alterius (Augusti neptis) & Germanici filiae, sextae Claudii uxoris, quae prius desponsata fuerat Passieno Crispo, inde Cneo Domitio Aenobarbo Neronis Patri. Soror Caligulae fuit, in cujus foedissimo vixit contu-

tubernio. Cum esset valde formosa, (καὶ γὰρ καλὴ ἦν, ut ait Dio *Hist.* lib. 60. pag. 686., & ut apparet ex marmore Capitolino, quod heic exhibemus), nupsit Claudio, cujus neptis erat. Tacitus *Annal.* lib. 4. cap. 2. de ea haec literis consignavit: *Tradit Cluvius, ardore retinendae, Agrippinam potentiae eo usque provectam, ut medio diei, cum id temporis Nero per vinum, & epulas incalesceret, offerret se saepius temulento comptam, & incesto paratam.* Idem Tacitus in uno tantum loco *Juliam Agrippinam* nominat, idque in principio libri XII.

163. Nummus Neronis, & Agrippinae Matris. In antica legitur, NERO CLAVD. DIVI. F. AVG. GERM. IMP. TR. P. COS. *Capita jugata Neronis, & Agrippinae*. In postica, AGRIPP. AVG. DIVI CLAVD. NERONIS CAES. MATER EX S. C. Quadrigae elephantorum currum trahunt, in quo figura virilis togata radiata sedet, dextra hastam puram, prope quam mulier item dextra Aquilam Legionariam tenens. Exstat apud Vaillantium Tom. 2. *Num. Imp. Rom.* pag. 60., & Theupol. *Mus. Antiq. Numism.* Tom. 1. pag. 131. Vide, quae scripsimus de hoc Nummo in Indiculo pag. 747. num. 128. ubi nihil reliquimus inexploratum.

164. Ju-

164. Juliae Agrippinae Matris Neronis Imperatoris Caput ex marmore Capitolino, de quo supra num. 162.

165. Protome Octaviae Claudii Imperatoris & Messalinae filiae, Neronis primae uxoris, quam cito aspernatus dimisit, relegavitque: verum, cum facinus hujusmodi, ac divortium reprehenderetur a Populo, eam Nero revocavit: quare magno cum Populi applausu, ac laetitia excipitur, omnibusque Poppaeae Sabinae secundae uxoris imaginibus praeruptis, ac dejectis, Octaviae Statuae passim eriguntur & imagines, quas etiam per Civitates cum gaudio, & cantilenis gestarunt humeris, sparseruntque floribus, ac in Foro, & in Templis statuerunt. Veruntamen denuo, blanditiis, figmentisque Poppaeae Nero accensus, tandem sub adulterii praetextu jussit Octaviam occidi, testibus Suetonio in Vitis Claudii, ac Neronis, & Tacito *Annal.* lib. 14. Vide supra, quae scripsimus in Indiculo numeris 134. & 140.

166. Nummus Octaviae, de qua numero praecedenti. Legitur in antica, ΟΚΤΑΟΥΙΑ ΣΕΒΑΣΤΗ *Octavia Augusta*. Caput ejusdem. In postica vero ΝΕΡΩΝ ΤΗΙΩΝ, *Nero Tejorum* in Jonia. Nuda Neronis effigies in Templo. Plinius lib. v. sect. 38. *Teos cum Oppido*: Stepha-

INDICULUS TABULAE II. SAECULI I.

phanus, Τέως πόλις Ἰωνίας . . . . , τὸ ἐθνικὸν Τήιος &c. Vide Gotham Nummariam Liebe pag. 454. num. 27, Vaillantium *de Numis. Graec.* p. 18, & Patinum de *Num. Imp. Rom.* p. 122. qui alium nummum Octaviae exhibet, & ita illuſtrat: „ in ejus antica, ΟΚΤΑΟΥΙΑ ΣΕΒΑΣΤΗ, *Octavia Augusta*. In poſtica, ΑΥΤ Ν. Ρ. ΚΛΑΥΔ. ΚΑΙΣ. ΣΕΒ *Imperator Nero Claudius Caeſar Auguſtus*. Octavia Claudii Imperatoris, & Meſſalinae filia, primum L. Sillano nupſit, deinde Neroni. Iratam habuit (teſte Suet. *in Ner.* c. 35.) fortunam optima mulier, matre Meſſalina per Claudium patrem necata, patre per uxorem Agrippinam, fratre Britannico per eandem Neronemque veneno extincto, ipſa demum in Pandatariam relegata, apertis venis obiit. In perraro nummo cernere cuperem cuinam Urbi Graecae hanc Octaviae effigiem debeat poſteritas „. Extant alii Tejorum nummi Neroni, Domitiano, & Valeriano percuſſi, qui Bacchi ſtantis effigiem exhibent, cantharum dextra, laeva thyrſum gerentis; jacente ante pedes panthera: quae agri ſunt vini feracis ſymbola. Teji Neronem coluerunt: quare ad rem noſtram, inquit laudatus Liebe, *caput in Aede, ſive in ipſius, ſive in Bacchi honorem extructa, conſpicitur*.

167. Nummus Octaviae Neronis: In antica

ca

ca OCTAVIAE NERONIS AVG. *Caput Octaviae.* In postica vero, GEN. COL. COR. Q. FVL. FLACCO II. VIR. *Genius Coloniae Corinthi. Quinto Fulvio Flacco Duumviro.* Figura muliebris stolata stans, quae dextra pateram, laeva cornucopiam tenet. Veteres credidere, non unicuique homini modo, sed & unicuique Genti, ac Civitati Genium praeesse. Symmachus: *Varios Custodes Urbibus mens Divina distribuit; ut animae nascentibus, ita Populis fatales Genii dividuntur.* Idem asserit Servius in Notis ad versum 94. libri v. Aeneidum, *nullus locus sine Genio erat.* Claudianus quoque Ep. 2. v. 43.

Vel Genius Regni, vel pietatis amor:

Et Prudentius contra Symmachum libr. 2. num. 74.

Aut Fatum, aut Genium, cujus moderamine regnent.

& numero 369.

Sed solers Orator ait; fataliter Urbem
Sortitam, quoniam Genio proprium exigat aevum:
Cunctis nam Populis, seu moenibus inditur, inquit,
Aut Fatum, aut Genius, nostrarum more animarum.

Festus quoque, *Genium esse putarunt uniuscu-*

INDICULUS TABULAE II. SAECULI I.

cujusque loci Deum: & Inſcriptio vetus apud Pitiſcum in Lexico,

IOVI . OPTIMO . MAXIMO . ET . GENIO . LOCI

Quare Clemens Alexandrinus *Proptr.* p. 26. *Si ſunt itaque Daemones liguritores, & ſcelerati, poſſunt etiam aperte inveniri in Civitatibus Daemones indigenae, qui honores ſibi vindicant*: & Arnobius Lib. 1. pag. 15. *& illi cati, ſapientes, prudentiſſimi vobis videntur, nec reprehenſionis ullius, qui Civitatum Genios . . . . reverentur*. Vaillantius *de Coloniis* tom. 1. pag. 182. hunc nummum ita illuſtravit: „ Apud P. Harduinum p. 124. pro *Jul. Flacco II. Vir.* repone *Q. Ful. Flacco II. Vir.* Corinthii ſub Fulvio Flacco Duumviro nummos Neroni & Agrippinae matri cuderunt, & rariſſimum ſignarunt Octaviae ejus uxori, ipſi a Claudio collocatae, ut ait Suetonius *in Claudio* cap. 27. *Octaviam Neroni privigno ſuo collocavit*. Hanc Nero poſt Claudii mortem ſpernere coepit, ut refert idem Hiſtoricus in ejus Vita cap. 35: *Octaviae conſuetudinem cito aſpernatur*: eique Acten ſervam praetulit, teſte Dione lib. 61. pag. 692: *Fuerat autem Acte empta ex Aſia, cujus amore Nero ita captus erat, ut eam retulerit in Familiam Attali, & Octavia uxore multo cariorem habuerit*. Deinde, mortua Agrippina, ut ſterilem,

lem, Octaviam dimisit, & Poppaeae nupsit, teste Tacito *Annal. XIV*: *Igitur accepto Patrum Consulto exturbat Octaviam, sterilem dictitans. Exin Poppaeae conjungitur.* Duodecimo die post divortium Octaviae, asserente Suetonio, illa in Pandatariam Insulam relegata, paulo post anno aetatis 20. mori jubetur, ejusque caput amputatum Poppaeam vidisse narrant. Muliebris figura in aversa Nummi parte, ipsa Octavia est, pro Urbis Genio posita „. Haec laudatus Vaillantius, cui in Genii expositione non assentior. Genius Loci est; qui cum cornucopia in sinistra, & calatho in capite, dextra pateram, vel simpulum tenens, stans ante Aram verbenis ornatam, quasi sacrificans, modo puerili, modo juvenili, modo senili forma in Nummis conspicitur. Ammianus lib. 25. c. 2. Juliano Imperatori obscura nocte in Galliis *Genium* Loci, cum cornucopia, velato capite, apparuisse ait: quali figura etiam in nostro Nummo, & in alio Hadriani cernitur, cum Inscriptione, *Genio Populi Romani.* Vide Struvium *Antiq. Rom.* Cap. 1. pag. 110. Gyraldum *Synt. Deor.* XV. pag. 435., Tassinum *de Ann. Saecul.* cap. 13., Choul. *de Relig. Vet. Rom.* pag. 134., & Pancirolum *Descrip. Urb. Rom.* in Thesaur. Antiq. Roman. Graevii Tom. 3. pag. 351.

168. Nummus Neronis, cum epigraphe in postica NERO CLAVDIVS CAES. AVG. IMP. LVRINO VOLVMNIO. *Caput Neronis nudum, cum sceptro per transversum*. In antica vero, quam hoc Numero repraesentamus, ita legitur: NERO CLAVD. CAESAR. AVG. IMP. OCTAVIA. AVG. *Capita Neronis, & Octaviae adversa. Nero Solem in capite, Octavia Lunam crescentem habet*. Octavia Claudii Imperatoris & Messalinae filia, Neronis prima uxor fuit. Vide quae scripsimus de hoc Nummo paullo supra numero 134. Vaillantius *de Coloniis* Tom. 1. pag. 183. *Nummum* (inquit) *Octaviae cum Neronis effigie Colonia quaedam, non apposito suo, sed Duumvirorum nomine, percussit: illa sunt*, Lurinus, & Volumnius, *pro quibus Tristanus Tom. 1. pag. 239. ex Occonis Nummo nescio quid de Vrano & Volumnio Diis quibusdam ariolatus est. Patinus Nummum vidit, & tamen Tristani sententiam pag. 114. sequutus est: sed Spanhemius veram Nummi epigraphen Dissert. 7. pag. 619. explanavit. Lurinus, cognomen est parum notum. Volumnia Gens, Plebeja, sed Consularis & Censoria. Visitur alter Nummus in Cimeliis sub iisdem Duumviris signatus: ex una parte, Caput Claudii nudum, cum Inscriptione, DIVVS CLAVDIVS*

DIVS VOLVMNIO LVRINO II. VIR. Ex altera parte, caput Neronis juvenile sine laurea, cum hac epigraphe, NERO CLAV. CAESAR. LVRINO VOLVMNIO. II. VIR. unde arguimus, utrumque Nummum primis Imperii Neronis temporibus percussum; hunc quidem in memoriam Claudii Consecrationis privigno curante decretae; illum vero in concordiae Augusti, & Augustae monumentum; quos, ut praecipua Mundi lumina & tamquam Imperio necessaria, apposito sub capite Neronis Sole, & Luna sub Octaviae effigie exhibuerunt ". Extat hic Nummus apud Begerum Vol. 3. pag. 96., Gesnerum Tab. 49. num. 43., Patinum pag. 88., Spanhemium Vol. 2. pag. 282., Nummophilacium *Reginae Sueciae* Tab. 51. num. 5., & Musellium Tom. 1. Tab. 25. num. 10. ac Tom. 3. pag. 73.

169. Nummus Neronis, cum Circo Maximo in postica, sed sine ulla Inscriptione. Quam Nero Ludis Circensibus fuerit addictus, Scriptores omnes testantur, atque Poppaeae fatum docet. Circus Maximus, a Tarquinio Prisco primum constructus in Valle Murcia inter Montes Palatinum, & Aventinum, non tamen in eam amplitudinem quam successu temporis adeptus est; inter pulcherrima Urbis opera numerabatur, ut scribit Dionysius Ali-

INDICULUS TABULAE II. SAECULI I.

Alicarnafs. lib. 3. pag. 200. *Antiq. Roman.* & Caffiodorius Variarum lib. 3. epift. 7. in qua ait: *Sed Mundi Dominus ad potentiam fuam* opus extollens, *mirandam etiam Romanis fabricam in Vallem Murtiam tetendit Augustus &c.* Qui hujus Circi menfuras duxerunt, fcribunt, ejus longitudinem fuiffe Romanorum pedum 2187. latitudinem vero 960. Idem Dionyfius loco allegato: *Longitudo ejus* (inquit) *eft trium ftadiorum cum dimidio, latitudo quatuor jugerum*. Plinius vero lib. 36. cap. 15. diffentit a Dionyfio quoad longitudinem, *Circum enim Maximum*, dicit, *longitudine ftadiorum trium, latitudine unius, fed cum Aedificiis jugerum quaternum ad fedem* CCLX. *millium*. Sed facile conciliari poffunt. Nam Plinius, interius tantum fpatium fine Aedificiis dimenfus eft in longitudine, nec illam cum Aedificiis conjunctim expreffit, ficut fecit in latitudine. Dionyfius vero totam, una cum Aedificiis & porticibus, tam longitudinem, quam latitudinem expofuit. Spatium enim porticuum, dimidium ftadium occupabat, ut e latitudinis proportione liquet. Vide Nardinum, Donatum, Borrichium, Marlianum, Faunum, Pancirolum, & Thefaurum *Antiq. Rom.* Graevii Tomo 3. Ab Halicarnaffeo hominum millia 150., & a Plinio mil-

millia 260.dicitur potuisse admittere. At Pub. Victor in Reg.2.inquit, *Circus maximus capit loca CCCLXXXV.millia*, quae omnia vera, si distinguantur tempora. Certe Trajanus V.millia locorum adjecit. Itaque maximum omnium Aedificiorum erat. Quare Juvenalis Satyra XI. v. 195. ait,

Totam hodie Romam Circus capit.

Ab una parte in semicirculum desinebat, ab altera in lineam rectam, ut scribit Panvinius: Pyrrhus Ligorius tamen alterum etiam Circi latus nonnihil obliquum exhibet. Externa facies duobus erat architecturae ordinibus concinnata. In extrema parte rotunda Circi, tres erant quadratae turres; duae vero in altera. Hae posterioribus Saeculis ad quosdam Senatores pertinebant, teste Cassiodorio lib. 4. Epist. 42. Ima pars Circi exterior, tabernis mercatorum constabat. Versus latus illud Circi minus, quod Tiberim respiciebat, erant carceres, ubi equi cursui destinati servabantur: erantque interius duodecim portae, quibus illi emittebantur: quibusdam machinis portae illae simul sustollebantur. Theodoricus apud Cassiodorium ait, hasce XII. portas significare duodecim Zodiaci Signa. Quod primum ingredientibus ex illo latere offerrebatur, parvum erat Templum, vocatum *Aedes Murciae*.

INDICULUS TABULAE II. SAECULI I.

ciae. Posteriorum temporum Scriptores eam in extrema parte locant. Tertullianus in medio ponit; sed medium dicendo, totam illam lineam videtur intelligere, quae Circum per medium secabat, quaeque multis erat instructa ornamentis, templis, columnis, aris, statuis. Prope illam Murciae Aedem, erat Ara Dei Consi, quae tres metas, pyramidum fere more erectas, quasi contingebat, quibus similes totidem in altera ora erant. Attamen Rex Theodoricus, qui Circum, ejusque partes omnes integras conspiciebat, septem metas enumerat in Epist. 51. apud Cassiodorium: *septem metis* (inquit) *certamen omne peragitur, in similitudinem hebdomadis reciprocae*: forte tamen septem metas, pro septem aurigarum gyris habet. Ab hisce metis ad alias, ad extremam oppositam Circi oram constitutas, strues erat aliquantum alta, quae mediam totam Circi aream occupabat. Quod primum in strue illa occurrebat, Ara Larium erat, & ex altera parte Ara Potentium: postea duae columnae, cum fastigio quodam, frontispicium fere Templi referebant: aliud simile postea reperiebatur Tutelinae dicatum, cum Ara proxime posita, cui adjacebat columna Victoriam sustentans. Hinc quatuor columnae quadratum oblongum efficiebant, epi-

epistylio, zophoro, coronide, & tabulato munitae; supra quod tabulatum multi delphini positi: illud erat ceu Templum Neptuni. Cybele Mater Deum e vicino erat, leoni insidens prope magnum Obeliscum, qui Circi centrum occupabat. Prope Obeliscum, erat Templum Solis, quod secundum Tertullianum in medio Circi erat: sed heic medium non geometrice accipitur, in loco maxime tam amplo. Tripus prope Templum illud, nota erat Apollinis, quem Veteres ut plurimum a Sole distinguebant. Post haec, columna Fortunae statuam sustentabat. Aedificium sequens columnis ornatum, quibusdam lapidibus ovatae formae quasi coronatum erat, qui lapides ideo ova curriculorum vocabantur. Sequebatur postea alia Victoriae columna nixae statua: in eadem linea, erat Ara Magnorum Deorum: hinc Obeliscus minor alio, qui Lunae consecratus erat: metae pyramidum trium omnia terminabant heic, ut in altera ora. Qui curru, vel equis vecti currerent, haec circuibant. In ambitu Circi prope murum, rivus erat magnus, latitudine pedum decem, quem appellabant Euripum. In muris ipsis Circum ambientibus in interiori facie erat primo Podium, ut & in Amphiteatro: ibi Senatores sedebant: supra Senatores

Indiculus Tabulae II. Saeculi I.

INDICULUS TABULAE II. SAECULI I.

vero, gradus erant, quorum infimi haud dubie Equitibus Romanis. Supra gradus, porticus erat, quae per ambitum Circi totum extendebatur, & supra porticum gradus alii, usque ad supremam muri partem. Area Circi arena operta erat. Quidam Imperatores illam ramentis lapidis albi stravere: minio Caligula; Nero chrysocolla; & scobe auri & argenti Heliogabalus. Circus Soli dicatus erat, ut Templo Solis in medio Circi posito indicabatur. Haec mutuati sumus ex Romanarum rerum Scriptoribus, ac praesertim ex Panvinio *de Lud. Circ.* & ex Montfauconio To. 3. par. II. pag. 275. Operis, cui fecit titulum *L' Antiquit. Expliq.* Circus Neronis fuit in Valle Vaticana, nimirum in hortis ejus. Sed Nummus, quem illustramus, exhibet proculdubio Circum Maximum. Tacitus *Annalium* lib. 14. cap. 13. *Clausumque Valle Vaticana spatium, in quo Nero equos regeret, haud promiscuo spectaculo.* Vallem hanc inter duos colles fuisse, Janiculum, & Vaticanum, ubi nunc Basilica celeberrima Principis Apostolorum (in qua ejus venerandum Corpus tumulatum est) ibidemque Neronem suos hortos habuisse, ex Obelisco certum est, qui prius ad Secretarium Templi, dein a Sixto Papa V. in media area ante Templum erectum est. Plinius lib. 36.

11. *Obe-*

11. *Obeliscus in Vaticano Caji & Neronis Principum Circo ex omnibus unus omnino fractus est in molitione.* De Martyribus ibidem a Nerone morti traditis legendus Tacitus *Annalium* lib. 15. cap. 44.

170. Nummus ab Apameensibus Agrippinae uxori Neronis cusus, qui extat apud Vaillantium *Numism. Graec.* pag. 15. Legitur in antica, quam heic exhibemus, ΑΓΡΙΠΠΙΝΑ ΣΕΒΑΣΤΗ. *Agrippina Augusta.* Caput Agrippinae. In postica vero, ΕΠΙ ΜΑΡΙΟΥ ΚΟΡΔΟΥ ΚΟΙΝΟΝ ΦΡΥΓΙΑΣ ΑΠΑΜΕΙΣ. *Sub Mario Cordo Commune Phrygiae Apameensibus.* Aquila serpentem unguibus tenet. Apamea Phrygiae, quae & ad Meandrum dicta, Ciliciae Proconsuli Apameus Conventus parebat, & Cibyraticus, sub quo Laodicea fuit, & Synnadensis, teste Tullio lib. v. ad Atticum Epist. 21. *Forum institueram agere Laodiceae Cibyraticum, & Apameense ex Idibus Martiis: ibidem Synnadense.* De his Phrygiae Conventibus Plinius lib. v. sect. 29. *Sed prius terga, & mediterraneas jurisdictiones indicasse conveniat. Una appellatur Cibyratica. Ipsum Oppidum Phrygiae est. Conveniunt eo 25. Civitates, celeberrima Urbe Laodicea .... Alter Conventus a Synnada accipit nomen .... Tertius Apamiam vadit &c.* Vide alium Agrippinae Nummum

 apud

apud Theupolum *Muſ. Antiq. Numiſ.* Tom. I. pag. 132. & Tom. 2. pag. 844. cum epigraphe, ΑΓΡΙΠΠΕΙΝΗΣ ΣΕΒΑΣΤΗΣ. *Agrippinae Auguſtae.* In poſtica, ΝΕΡΩΝΟΣ ΚΑΙΣΑΡΟΣ ΣΕΒΑΣΤΟΥ. *Neronis Caeſaris Auguſti.*

171. Nummus ab Epheſiis in honorem Poppaeae Neronis ſecundae uxoris percuſſus. Legitur in epigraphe, quam heic exhibemus, ΠΟΠΠΑΙΑ ΣΕΒΑΣΤΗ. *Poppaea Auguſta.* Caput Poppaeae. In poſtica vero, ΕΦΕΣΙΩΝ. *Epheſiorum.* Cervus erectus. De Epheſo vide Plinium lib. V. ſect. 31. In Epheſiorum Nummis ſignari Diana ſolita, eorundem peculiaris Dea, aut cervus, eidem ſacer. Hinc ipſi Dianae *Elaphiae* nomen apud Strabonem lib. VIII. pag. 343: eſt enim cervus Graecis ἔλαφος. Et apud Reineſium in Vetere Inſcriptione p. 354. DIANAE AVG. LAPHIAE, litera fortaſſis exeſa, pro ELAPHIAE. Dianam porro Elaphiam eandem eſſe intellige, auctore Pauſania, quae & Venatrix eſt appellata: quam, ut credit Harduinus, *in Nummis Antiq. Populorum & Urbium illuſtratis* pag. 161, Vir Phocenſis Laphrius, de quo Pauſanias idem in Acaicis pag. 224., ſuo nomine, pro Elaphia, Laphriam cognominavit. Hac vero appellatione a Patrenſibus poſtea culta & obſervata eſt. Extat Nummus Neronis in Cimelio Regis Chriſtianiſ-

Indiculus Tabulae II. Saeculi I.

nissimi, qui hanc epigraphen exhibet, DIANA LAPHR. cum ejusdem Deae Venatricis icone. Et in *Museo Theupolo Antiq. Numis.* Tom. 2. pag. 849. visitur alius, cum epigraphe in antica, ut in nostro, quem heic illustramus: in postica vero, ΠΕ. *Pessinuntiorum*. Flos loti inter duas spicas in corona quercea. Pessinus Galatiae secundae, quae & Salutaris est appellata, Metropolis fuit, ut scribit Stephanus. Vide etiam Plinium lib. v. sect. 42. Diana quoque multimammia ab Ephesiis peculiariter culta fuit, ut diximus supra in Indiculo numero 131.

172. Inscriptio Poppaeae Sabinae Titi Ollii Viri Quaestorii filiae, (Rufo Crispino Equiti prius, deinde & Othoni, qui postea Imperator, desponsatae), Neronis secundae uxoris; qua ipse tamen antea pro concubina usus fuerat. Occisa est ab eodem ictu calcis, cum esset gravida, quod sero ab aurigatione reversum conviciis incessisset. De perpetrato facinore, ut ipse tristis videbatur, ita occulte laetatus est Populus, tum ob mulieris impudentiam, tum etiam ob saevitiam in Romanos Cives, uti narrat Tacitus *Annal.* lib. 16. Ejus corpus igni concrematum est, & quidem teste Plinio *Hist.* lib. 12. cap. 18. valde luxuriose: *defunctae* (inquit) *tantum in concremando rogo* cin-

INDICULUS TABULAE II. SAECULI I.

cinnamomum (Nero) *profudit, quantum annuo foetu suppeditare par non fuerit tota Arabia*. Enimvero, ſcribunt Hiſtorici omnes, Neronem magno dolore perculſum (ut ex honoribus, quibus eam poſt obitum decoravit, quiſque facile comprehendere poteſt) ſe ipſum illatae ei necis reum incuſaſſe, atque ſplendidiſſima ornatiſſimaque oratione pro roſtris eam laudaſſe, & in primis pulchritudinis gratia, cum ex ipſa, uti ſcribunt Tacitus *Annal.* lib. 13., & Suetonius *in Nerone*, Claudiam ſuſcepiſſet, quam nedum quintum menſem agentem Auguſtae appellatione donavit, quoniam Poppaea illam peperit in Antii Colonia, ubi & ipſe natus erat. Illius Cadaver in Familiae Juliae tumulo honorificentiſſime depoſitum eſt. Verum poſt Neronis mortem, illius imagines & ſtatuae perfractae dejectaeque fuerunt: quae tamen denuo ab Othone ex Senatus Conſulto eriguntur, ſicuti lib. XIV. cap. 61. teſtantur Taciti Annales. Hujuſce rei memoriam faciunt etiam Joſephus *in Antiquitatum* libro 18. cap. 7., ac Plutarchus in Vita Galbae. Inſcriptio, quam heic exhibuimus, niſi ſit inter ſpurias accenſenda, ita legatur: FOECVNDITATI POPPAEAE SABINAE, DIVAE, MATRIS (Claudiae), NERONIS PRINCIPIS

CIPIS AMANTISSIMAE (uxoris) D.D. Tacitus Annalium lib. xvi. c. 22. *Ejusdem animi est* (inquit) *Poppaeam Divam non credere, cujus in Acta D. Augusti, & D. Julii non jurare*: eam namque Nero Augustae, ut diximus, appellatione donavit, & turpissima Senatus assentatione omnia honorum genera post mortem illi decrevit. Cur vero Nero Augustus, *Princeps* heic dicatur, conjecturis indulgens, exponam. Idem Tacitus de Tiberio scribens *Annal.* lib. 3. cap. 53. ait: *Non Aedilis, aut Praetoris, aut Consulis partes sustineo: majus aliquid & celsius a Principe postulatur. Princeps vero*, inter cetera ejus munera, Ludos spectabat e suggestu in orchestra. Origo rei a Julio Caesare: quem Suetonius cap. 76. num. 2. inter alios honores, quos nimios recepit, admisisse ait *suggestum in orchestra*. Et secuti *Principes* id tenuere. Nero apud Suetonium cap. 12. num. 7. *Icarus* (loquitur de Simone Mago) *primo statim conatu juxta cubiculum ejus decidit, ipsumque cruore respersit. Nam perraro* PRAESIDERE; *ceterum accubans primum parvis foraminibus, deinde toto Podio aperto spectare consueverat*. Ex quo facile colligas, (inquit Pitiscus in Lexico, verbo *Princeps*) suggestum illum tectum & inaedificatum fuisse ad modici cubiculi formam, cui proprium etiam

etiam suum Podium, quod ostiis quibusdam sive fenestris arenam versus aperiretur. Morem illum illustrat Plinius in Panegyr. cap. 51. num. 3. dum commendat Trajanum, quia civiliter sustulit, scribens: *Dignam populo victore Gentium sedes, visenda cum cetera specie, tum quod aequatus plebis, &* PRINCIPIS *locus. Siquidem per omne spatium una facies: nec magis proprius spectandi Caesaris suggestus, quam propria, quae spectat. Licebit ergo Civibus tuis invicem contueri: dabitur non cubiculum* PRINCIPIS, *sed ipsum cernere in publico, in populo sedentem.* Vide Lipsium *de Amphit.* cap. 11, Bulengerum *de Imper. Rom.* lib. 2. cap. 29., *de Circo* cap. 35 Casaubonum, Pitiscum in Suetonium, & Argol. in Panvin. *de Ludis Circensibus* lib. 2. cap. 16. Poppaeae igitur statim post mortem (quam ei intulit fortuita mariti iracundia, quod a Quinquennalibus certaminibus, atque ab aurigatione, cui idem Nero PRINCEPS adstiterat, sero Domum rediens, ab eadem fuisset objurgatus) Divinos honores fuisse delatos, atque ipsi Neroni Augusto superstiti ambitiosum PRINCIPIS seu Praesidis Ludorum titulum, haec Inscriptio Parmensis nos docet.

173. Haec effigies Poppaeae conjugis Neronis Imperatoris (quae exstat in Museo Capito-

Indiculus Tabulae II. Saeculi I.

pitolino) pluris aestimanda est, ut scribit Doctissimus Bottarius Tomo 2. ejusdem Musei pag. 17: „ quoniam, etsi cum thorace ex unico solidoque marmore effícta sit, caput tamen in candido marmore efformatum est, vestis vero, qua thorax circumvestitur, ex eodem illo marmore, sed lineis violaceis distincto, quod marmoris genus Italice *pavonazzetto* nuncupatur, ita ut haec Προτομὴ vulgo *Cameus* appellari possit. Ejusdem AugustaeCaput exstat quoque in Museo Florentino Magni Ducis, Ferdinando Etruriae Principi dono datum ab Antonio Capello Patritio Veneto; quod quamvis non tanti faciendum sit ob lapidis praestantiam, attamen ob artificii excellentiam, utpote Sculptoris Graeci, minime huic nostro postponendum videtur. Illud vero diademate insignitur, & cui quatuor capillorum plexus hinc atque hinc decidunt, more potius cujusdam barbarae Reginae: at ita quoque apparet in Nummis Graecis, qui non omnino communes sunt. Hoc Capitolini Museicaput pariter taenia quadam decoratur, quae latior est diademate, & ex capillorum contextu confecta, qui tamen adscititii esse poterant, ad ostentandam majorem eorum copiam acccomodati, qua summopere feminae gloriantur; atque haec praecipue, quae

INDICULUS TABULAE II. SAECULI I.

adeo luxui dedita erat, ut jumentis, quibus ipsamet uteretur, soleas argenteas induceret, teste Plinio lib. 33. cap. XI., cui Dio subdit *Histor.* lib. 62. pag. 714. mulis usam esse aureis phaleris &c.„ Quod ad ejus formam attinet, praeterquamquod matri pulcherrimae mulieri, ut ex Tacito *Annal.* lib. 13. cap. 46. didicimus, adsimilaretur, ab eodem narratur, Othonem (cui, post Rufum Crispinum, nupserat, & postea Neroni,) *solitum laudare formam elegantiamque uxoris, saepe sibi concessam dictitans nobilitatem, pulchritudinem, vota omnium, & gaudia felicium*. Ea autem sui ipsiusmet formam adeo deperiebat, ut, se se in speculo aliquando contemplans, quum vultus species desiderio ejus omnino non responderet, optaverit prius mori, quam senescere, secundum Dionis testimonium *Hist.* lib. 62. in fine. Plura vide apud eundem Clarissimum Bottarium in Opere superius allegato.

174. Nummus Neronis, cum epigraphe in antica, NERO CLAVD. CAESAR AVG. GER. P. M. TR. P. IMP. P. P. in postica vero, quam heic illustramus, GENIO AVGVSTI. S. C. Genius stans ad aram: dextra pateram, sinistra cornucopiam tenet. Exhibent hunc Nummum Bellorius *in Adnot.* ad XII. Cae-

XII. Caesares pag. 42. num. 15., Gesnerus Tab. 47. num. 11., Mediobarbus pag. 90., Theupolus Tom. 1. pag. 403, Museum Arschotanum Tab. 20. num. 8., & Musellianum Tom. 1. Tab. 22. num. 9. ac Tom. 3. pag. 69. Peculiariter colebantur Genii Principum, & Augustorum; ut notarunt Docti ad Curtium VI. 11. 18., Christophorus Cellarius ad Minucium Felicem pag. 112., Cangius ad Zonaram pag. 28., & ad Cinnamum pag. 483. Confer Henrici Dodwelli Praelectionem secundam Cambdenianam ad Hadrianum Spartiani, quae est *de Fortuna Imperii, & Genio tutelari Principis*, editam Oxonii 1692., nec non Bernardi Ludovici Mollembercii *de Genio Principis* Dissertationem, recusam in Syntagmate secundo Dissertationum Philologicarum in Belgio junctim editarum anno 1700. Romanis ergo Imperatoribus rerum Dominis Genios peculiares assignabat Ethnica superstitio, felicitatis eorum praestites sacrosanctos, & non violabiles: non secus ac aliae etiam ante, & post eos Gentes, Primoribus, & Imperatoribus suis Genialia Numina inesse volebant: ideoque per Principis Genium jurabant. Tertullianus in Apologetico cap. 32. de Christianis inquit: *sed & juramus, sicut non per Genios Caesarum, ita per salutem eorum,*

rum, quae est augustior omnibus Geniis. Apulejus Met. IX. pag. 311. : *Contra Commilitones, ibi, nec uspiam illum delitescere, adjurantes Genium Principis, contendebant*. Et hoc servare summa illis erat religio, ut idem Tertullianus testatur in laudato Apologetico cap. 27: *Majore formidine, & callidiore timiditate Caesarem observatis, quam ipsum de Olympo Jovem: citius denique apud vos per omnes Deos, quam per unum Genium Caesaris perjuratur*. Paria habet Minucius Felix, scribens: *Et est eis tutius per Jovis Genium pejerare, quam Regis*. Qui vero pejerasset, fustibus castigabatur. Ulpianus l. *Si duo*, §. *Si quis*, ff. *de jurejurando* scribit: *Si quis juraverit in re pecuniam per Genium Principis dare se non oportere, vel intra tempus certum se soluturum, nec solverit, Imperator noster cum Patre rescripsit, fustibus eum castigatum dimittere*. Vide Carolum *Antiq.Rom.* 1.7, Lipsium in Taciti *Annal.* lib. 1. num.242., Demsterum, Berthaldum, Ortel. & Taffinum.

175. Nummus Neronis, cum epigraphe in antica, NERO CLAVD. CAES. AVG. GERM. P. M. TR. P. IMP. P. P. Caput Neronis radiatum. Corona radiis distincta, quae in Augusto Consecrationis indicium extiterat, processu deinde temporis, (ut obvia

de

de hoc in Nummis est observatio), commune Imperialis fastigii, Regalisque Dignitatis ornamentum evasit. In ea profecto gemma, quam illustravimus supra num 36., ut Divinitate donatus Augustus denotaretur, radiata Corona praefulget. Hoc primum suae Consecrationis indicium est. Postquam vero Corona radiata vivi adhuc Imperatores uti coeperunt, cum eadem *in Nummis Nero prior occurrit*, inquit Vignolius in Dissert. *de Columna Antonini Pii* cap. 8. pag. 127. Verum illa e Romanis Principibus primum Caligulam usum video, nempe cum id ageret, ut sibi adsciscceret famam Divinitatis, seque non solum Heroibus aequaret, sed & ipsis Majoribus Numinibus Mercurio, Marti, Apollini; quorum etiam Insignia gestabat, *coronis radios imitantibus caput evinctus*, ut de illo scribit Philo *Legat.* pag. 1005. In Caligulae lamina, sive ambitu, aspiciuntur stellae tres, & supra frontem semicirculus lunaris. Ex sola specie satis apparet, esse ex illarum genere, quas ipse *exploratorias* vocavit, teste Suetonio in ejus Vita cap. 45. num. 2. *Comites autem* (inquit) *& participes victoriae novo genere ac nomine coronarum donavit; quas distinctas Solis, ac Lunae, syderumque species exploratorias appellavit.* Coronam radiatam in diademate, radiantem

tem arcum vocat Statius Thebaid. libro primo, versu 28.

Ipse tuis alte radiantem crinibus arcum
Imprimat &c.

Exstat Nummus, de quo loquimur, apud Vaillantium *Num. de Camps* pag. 9., & *Numism. Rom. Imp.* Tom. 1. pag. 21., Theupholum Tom 1. pag. 406., & Musellium Tom. 1. Tab. 22. num 2. ac Tomo 3. pag. 69.

176. Nummus Neronis, cum epigraphe in antica NERO. CLAVD. CAESAR. AVG. GERM. P. M. TR. P. IMP. II. *Caput Neronis radiatum*: in postica vero, quam heic exhibemus, ita legitur, SECVRITAS, AVGVSTI. S. C. Mulier, dextra capiti apposita, sedens ante Aram igne succensam, sinistra manu sceptrum, seu hastam gerit. Religionis autem cultum denotat, supplicationesque & vota pro Neronis incolumitate soluta, quibus ejus securitas procurabatur. Securam quietem describit Virgilius Georg. 1.

At secura quies, & nescia fallere vita &c.
Exstat hic Nummus apud Vaillantium *Numis. de Camps* p. 9., & Bellorium *in Adnot. in XII. priorum Caesarum Numismata* pag. 38. num. 7., item in Museo Arschotano Tab. 21. n. 15., apud Gesnerum Tab. 47. num. 24., Mediobarbum pag. 90., Theupolum Tom. 1. pag. 406, & Mu-

& Musellium Tom. 1. Tab. 22. num. 2. ac Tom. 3. pag. 69.

177. Nummus Neronis, cum epigraphe in antica NERO CLAVD. AVG. GERM. P. M. TR. P. IMP. P. P. In postica vero, AVGVSTI. POR. OST. S. C. Portus Ostiensis, cum septem navigiis, & Fluvio decumbente. Imperator Claudius, inquit Suetonius in ejus Vita cap. 20., *Portum Ostiae extruxit, circumducto dextra sinistraque brachio, & ad introitum profundo jam solo mole objecta, quam, quo stabilius fundaret, navem ante demersit, qua magnus Obeliscus ex Aegypto fuerat advectus, congestisque pilis superposuit altissimam turrim in exemplum Alexandrini Phari, ut ad nocturnos ignes cursum navigia dirigerent*. Ea fere omnia etiam in hoc Nummo cernuntur, & insuper statua Imperatoris in superiori parte conspicua. Quamvis autem hic Portus non in Claudii, qui eum construxit, sed in Neronis tantum Nummis cernatur (quorum unum heic exhibemus), atque idem Suetonius scribat in ejus Vita cap. 31., *Neronem fecisse fossam ab Averno Ostiam usque, ut navibus, nec tamen mari iretur, longitudinis per centum sexaginta millia*, ego tamen Neroni eos attributos fuisse honores puto, quos Claudius erat meritus apud Romanos; qui frequenter

INDICULUS TABULAE II. SAECULI I.

ter ſucceſſoribus eoſdem decrevere, quos priores Imperatores ſuſcipere non potuerant. Sic decretus Hadriano Triumphus, ob rem praeclare ab Trajano geſtam, quo ipſe morte praeventus gaudere non potuerat. Firmant conjecturam appoſita elementa S. & C., indicant enim Senatus Conſulto percuſſum fuiſſe Nummum; ſive quod Nero eum exornaverit, & uſu commodiorem fecerit; ſive quod, cum Claudius hunc elegantiſſimum Portum, qui inter magnificentiſſima Romanorum opera computabatur, abſolvere non potuiſſet, Nero eum perfecerit, quod veriſimilius videtur. Nummi Neronis hunc Portum pene rotundum exhibent; cum contra Serlius (qui ejus ichnographiam, atque menſuras exhibet) hexagonum repraeſentet. Nummus Trajani apud Oiſelium hexagonum etiam repraeſentat. Quare ab ipſo Neronis tempore Portus Oſtienſis hexagonus fuiſſe videtur, licet in Nummis rotundus delineatus ſit: quandoquidem ſaepe monetarii ob brevitatem ſpatii, ſecundum propriam figuram & veritatem exhibere non tantopere curabant. Tantas Serlius ſinceritatis accurationiſque notas utique dedit, ut nulla ſit ſuſpicio, eum, Portum Oſtienſem caſu, & ad libitum ſuum edidiſſe; cum maxime ejus tempore Portus Oſtienſis adhuc magna rudera ſupe-

pereffent;& fortaffis hodieque tanta fuperfint, quanta fatis effent ad ejus ichnographiam delineandam. Latera Hexagonii fingula, inquit laudatus Serlius, mille fexcentos palmos longitudinis habent: palmus, pedis Romani dodrans eft: pes Romanus, una uncia, five uno pollice minor eft Regio Parifienfi. In fingulis lateribus erant xyfti, porticufque, & horrea: in maris ora, truncae columnae erant ordine difpofitae, quae religandis navibus inferviebant. In Portus oftio, hinc & inde turres, quae ab acceffu arcerent, inquit Montfauconius To.4. *Antiq. Expliq.* pag.296. Bellorius quoque *in Adnot. in XII. priorum Caef. Numif.* pag.38. num. 8. PortumOftienfem his verbis luculentiffime illuftrat.,, Hunc factum (inquit) a Claudio, fuum in Nummis oftentavit Nero, quod forte exornaverit, vel perfecerit. Binae extant in portu fauces: in antica Portumni jacentis, in poftica Neronis fimulacrum fuper Columna. Sed de ipfo Portu difficultas oritur, cum pars Claudio, pars Trajano referatur. Unde animadvertendum eft, Portum Oftienfem duplici finu ambituque coerceri, altero in continenti, intra quem, effoffa humo, per canale navigia immittebantur; altero in ipfo mari, duobus aggeribus, quafi brachiis, in littore excitatis.

INDICULUS TABULAE II. SAECULI I.

Exteriorem ſinum, & Portum in noſtro Nummo expreſſum, arenis hodie undique oppletum, a Claudio factum conſentiunt Antiquarii, Architecti, & Geographi: interiorem vero, a Trajano additum nonnulli autumant, ex antiquo Trajani Nummo, qui Portum quendam Trajanum exhibet ſex angularibus lateribus circumductum, juxta veſtigia hujus interioris Portus, qui & ipſe exagonus cernitur. Talem ediderunt Pyrrus Ligorius, Serlius, Labacchius, Du Peracchius Architecti, atque inter Geographos apprime clarus Cluverius *Italiae Antiquae* libro 2., & Abrahamus Ortelius, qui ita ſcribit in ſuo Theſauro Geographico: *Idem teſtatur Nummus meus aeneus antiquus, qui Trajani Imperatoris effigiem, & in poſtica parte hunc Portum depictum exhibet, eadem forma, qua ipſum ruinis deformatum aliquando contemplati ſumus. Unde interior Portus Oſtienſis, Trajanus hodie nuncupatur, exterior Claudianus, tantum Claudio tribuitur.* Quam ſententiam Cluverius fulcire conatur Auctoribus, & Inſcriptionibus; duaſque illuſtres profert, quae extabant Romae in aedibus Boccalinis ad viam Flaminiam, elapſis annis in demolitione ſublatas:

SALONIA. CARPIME

SALONIAE. EVTERPE

SA-

SACERDOTI. M. D. M. PORT. AVG.
ET. TRAIANI. FELICIS. PATRONAE
SVAE. OPTIMAE. BENEMEREN
TI. FECIT. ET. SIBI. ET. SALONIO
HERMETI. SALONIO. DORAE. SA
LONIAE. TERTIAE. ET. EOR. FILIS
PARS. DIMIDIA. INTRANTIBVS
LEVA.

M. CVTIVS. RVSTICVS
TIBICO. M. D. M. PORTVS
AVG. ET. TRAIANI. FELICIS
FECIT. SIBI. ET. CVTIAE. THE
ODOTI. ET. LIBERTIS. LIBER
TABVS. POSTERISQ. EORVM
PARS. DIMID. AD. (*sic*) DEXTRA.

In utraque Inscriptione edita a Grutero pag. 308. num. 10. legitur, PORTVS. AVG. ET. TRAIANI. Intelligit Cluverius de Portu Ostiensi, consonis utrisque Nummis Neronis, & Trajani, in quorum uno AVGVSTI, in altero TRAIANI Portus nomina adnotantur. Sed naufragatur in Portu, cum longe diversus sit Inscriptionum sensus: loquuntur enim de Portu Coloniae Augustae Trajanae Phrygiae, ab Augusto deductae, & a Trajano suppletae, Portuque nobilitatae, quam ad Aegeum sitam autumat Tristanus Tom. 2. In una

 legi-

INDICULUS TABULAE II. SAECULI I.

legitur, SACERDOS, in altera, TIBICO M.D.M.: sic vero interpretandae sunt literae singulares, *Magnae Deum Matris*; quae Dea, Cibeles est, in Phrygia praecipue culta, templumque ejus extabat in ejusdem Regionis Colonia Augusta Trajana: unde in ambabus Inscriptionibus SACERDOTI. ET. TIBICO. M. D. M. PORTVS. AVG. ET. TRAIANI. Testis est Nummus Septimii Severi, cum simulacro Magnae Deum Matris Leoni insidentis, in Templo, columnis quatuor instructo, cum literis AYΓOYCTHC. TPAIANHC. *Augustae Trajanae*. Hanc Trajanopolim idem Tristanus existimat, eademque Felix cognominabatur, ut aliae illustres Coloniae. Unde in utraque Inscriptione PORT. AVG. ET. TRAIANI. FELICIS. Numquam Trajani appellationem Ostiensi Portui appositam reperies; & e contra vel Augusti cognomen permansit, ut in nostro Nummo, *Portus Augusti*; vel simpliciter portus, vel Portus Romae, Portus Urbis, Portus Romanus nominatur. Xiphilinus l. 71. ex Dione in Severo: *Cetus ingens adpulit in Portum, qui Augusti cognomen habet*. Apulejus lib. 1. *Romam versus profectionem dirigo, tutusque prosperitate ventorum ferentium, Augusti Portum celerrime, & dehinc carpento pervolavi, vesperaque*

ad

ad sacrosanctam istam Civitatem adcedo. Itinerarium antiquum maritimum, *Ab Urbe, Arelatum usque, ad Portum Augusti M.P.XVIII.* Hinc Dio, postquam Portum universum descripsit, concludit: *id opus ab eo, hoc est a Claudio extructum, Portus nomen hodie quoque retinet*. Ceteros Auctores recenset idem Cluverius, qui notat sequioribus Saeculis ipsum Portum dictum fuisse Phari Portum. Centumcellensis autem Portus a Trajano extructus, auctoris Trajani cognomen obtinuit, ut ex descriptione Plinii Junioris his verbis liquet l.6. Ep.31: *Habet hic Portus etiam nomen auctoris, eritque vel maxime salutaris*. Ptolemaeus, Τραϊανὸς λιμὸν *Trajani Portus*: sic legitur in allato Trajani Nummo PORTVS. TRAIANI, & hic pertinet ad Centumcellensem. Qui vero ipsum referunt ad Ostiensem, ducuntur sola conjectura similitudinis exagonae, veterum testium omnino expertes, imo refragantibus Auctoribus, & rationibus cunctis. Utrumque Portum Ostiensem, tam interiorem, quam exteriorem, a Claudio aedificatum ex Dione comprobatur; quam sententiam secutus est Joseph Castalio Antiquitatum disertissimus interpres, & vindex, cujus multa praeclara opera malo fato interiere. Haec ipse in explicatione Numismatum Ostien-

INDICULUS TABULAE II. SAECULI I.

stiensis, & Trajani Portus: *Non desunt, qui Numisma Portus Trajani, Ostiensis Portus partem eam referre opinentur, quae interior sit, quaeque a Trajano addita Portui Claudiano putetur: eos autem ego tota errare via censeo, quoniam nullis veterum testimoniis nituntur. Eos redarguit in portubus extruendis priscorum consuetudo, & Cassius Dio, qui Ostiensem Portum a Claudio factum cum scriberet, ejus quoque formam exposuit: duobus enim brachiis in aggerum morem excitatis conclusum mare, Insulamque cum turri ante ostium extructam; atque in continentem introrsum altius effossam, & circumquaque coedificatam, mare immissum a Claudio fuisse scribit*. Sed verba Dionis proferamus: *Hunc enim*, inquit, *locum continentis effodit haud parum, & totum circumcirca crepidine cinxit, & mare in hunc ipsum locum ingredi fecit.* Interior haec Claudiani Portus aedificatio: effodit Claudius humum, & mare immisit per canale in sinum interiorem, & circumcirca crepidine lapidum firmavit. Sequitur: *Deinde, cum in ipso mari aggeres ex utraque parte magnos fecisset, mare multum in ipso loco circumdedit, ibique Insulam efficit*. Haec Claudiani Portus exterior pars, aggeribus, quasi brachiis, in mari excitatis; iisque iterum fuit mare conclusum, cum Insula, & turri, unde

unde noctu ignes emicantes signum nautis darent. Concludit vero absque ullo Trajani titulo: *Idque opus ab eo extructum, Portus nomen hodie retinet*. Evidentius etiam utramque Ostiensis Portus faciem pingit Juvenalis de navigatione Catulli Sat. XII.

Tandem intrat positas inclusa per aequora moles,
Tyrrhenamque Pharon, porrectaque brachia rursum,
Quae pelago currunt medio, longeque relinquunt
Italiam: non sic igitur mirabere portus,
Quos natura dedit, sed trunca puppe magister
Interiora petit Bajanae pervia cymbae
Tuti stagna sinus.

Grangaeus Juvenalis Commentator Sat. 12. ad illa,

........*porrectaque brachia rursum,* inquit, *errant, qui ab alio, puta Trajano, hunc Portum auctum, ad quod* τὸ rursum *referre volunt. Imo* rursum *illud ostendit, ultra Pharon rursum exporrecta, seu continuata brachia Portus, nam ad ejus introitum turris extructa.* Observandus est etiam in nostro Nummo, Portus Ostiensis exterior cum duabus faucibus, quibus & a fronte, & a tergo pervius exhibe-

betur: siquidem alterum latus mari objicitur, cum simulacro Portunni, alterum adjacet interiori sinui, in quo simulacrum Neronis positum est: dubium ergo non est, universum Portum a Claudio perfectum; quod probat Dio in allata descriptione: *perfecitque magnanimitate, ac potentia Romana*: & paulo post, *id opus ab eo extructum, Portus nomen hodie quoque retinet*. Non est praetereundus Antonius Augustinus, ambigens Neronis ne, an Augusti sit statua super columna in Portu excitata, cujus ab altera manu laterna pendebat, ut Navibus noctu illucesceret. Statua enim ipsa hastam, seu sceptrum, & globum tenet. Plinius lib. 16. cap. 36., & Suetonius in *Claud.* cap. 20. turrim describunt ad exemplar Alexandrinae Phari. Vincentius Scamozius Architectus in Indice ad Serlium, nulla ratione ductus, hanc Pharum cum brachiis Portus, falso Trajano adscribit. Serlius vero Architecturae lib. 3. interioris Portus magnificentiam, dimensiones, & commoda ita describit Italice: *Li Romani per la grandezza dell' animo sempre cercarono di far cose, le quali dimostrassero, quanto eglino fossero potenti, e generosi in tutte le azioni in mare, ed in terra; onde per lo comercio di Roma fecero questo maraviglioso Porto di Ostia, il quale veramente, e per*

e per la commodità, e per la grandezza degli edificj, e sopra tutto per la fortezza sua, si può dire mirabile, ed è di forma esagona, cioè di sei facce, e ogni faccia è per lunghezza CXVI. canne, ed ogni canna è palmi X. Da queste principali misure si potrà comprendere la grandezza sua: ogni faccia aveva uno spazioso cortile con le logge intorno, e quattro appartamenti di Magazzini circondati dalle logge, con uno andito nel mezzo; e lungo la ripa, su le acque, erano per ordine tronchi di colonne, a' quali si legavano le Navi, e alla bocca del Porto erano assai torrioni per guardia de' Nemici, bisognando &c. Forma ergo exagona placuit interioris Portus, utpote tutior, & magis accomodata ad exonerandas naves, atque ad aedificationem horreorum, & stationum. Hinc inferri potest, Trajanum in Centumcellensis Portus extructione secutum Claudii rationem; quod conjicitur ex ejus Nummo, & ex descriptione Rutilii Numatiani in Itinerario, qui anticam, & posticam ejus partem ita exposuit:

Nec posuisse satis saxo navalia Portu,
Ne vaga vel tutas ventilet aura rates:
Interior medias sinus invitatus in aedes
Instabilem fixis aera nescit aquis. Imitatus

Juvenalem, qui ait, *interiora stagna sinus &c.*

INDICULUS TABULAE II. SAECULI I.

Referendus est ergo Nummus Trajani ad Portum suum Centumcellensem, non ad Ostiensem Claudii, in quo hodieque hexagona visitur figura, quam recognovit & Serlius; licet a Monetariis sub Nerone ob spatii angustiam ipse fere rotundus delineatus sit; uti Centumcellensis, de cujus forma idem Rutilius cecinit,

Molibus aequoreum concluditur amphiteatrum.

Exhibent Neronis Nummum, in quo Portus Ostiensis visitur, Museum Arschot. Tab. 20. nu. 22., Begerus Tom. 2. pag. 623., Erizzo pag. 216., Mediobarbus pag. 90., Patinus pag. 87, Nummophilacium *Christinae Reginae Sueciae* Tab. 4. num. 16., Vaillantius *Numis. de Camps* pag. 9., & *Numis. Rom. Imp.* Tom. 1. pag. 22., Theupolus pag. 405., Musellius Tom. 1. Tab. 22. num. 1. ac Tomo 3. pag. 69., & Marchio Locatellus Vir Clarissimus Musei Capitolini Praefectus in valde luculenta Dissertatione, cui fecit titulum, *Sopra il Porto d'Ostia, e sua Medaglia &c.*

178. Nummus Neronis, cum epigraphe in antica, NERO. CLAVD. CAESAR. AVG. GER. P. M. TR. P. IMP. P. P. in postica vero, quam heic exhibemus, ANNONA. AVGVSTI. CERES. S. C. Exhibet typus Cererem sedentem, cui adstat Annona seu Abundantia. Illa facem, & aristas solitum insigne, de

de quo supra num. 142., haec cornucopiae peculiare symbolum gerit. In medio Ara, seu mensa, super quam modius, retro navis frumentaria. Ad hunc Nummum illustrandum faciunt ea, quae Tacitus *Annal.* lib. 15. scribit: *Nero addidit sine pretio frumentum, quo ante ex modo Annonae utebantur*: itemque eodem libro, in dissimulationem Victoriae Parthorum, de ipso ait: *quin &, dissimulandis rerum externarum curis, Nero frumentum plebis vetustate corruptum in Tiberim jecit, qua securitatem Annonae sustentaret, cujus pretio nihil additum est; quamvis ducentas ferme naves in Portu, ipsa violentia tempestatis, & centum alias Tiberi subvectas, fortuitus ignis absumpsisset*. Neronis ergo in Annona procuranda diligentiam hic Nummus prodit. Exstat apud Vaillantium *Numis. de Camps* pag. 9. & *Numis. Imp. Rom.* Tom. 1. pag. 21, item in Museo Arschotano Tab. 21. n. 16, apud Bellorium pag. 41. num. 11, Gesnerum Tab. 46. num. 18, Harduinum pag. 722., Mediobarbum p. 90. Theupolum Tom. 1. pag. 402., & Musellium Tom. 1. Tab. 21. n. 10. ac Tomo 3. p. 68.

179. Nummus Neronis, cum epigraphe in antica, NERO. CLAVD. CAES. AVG. GERM. P. M. TR. P. IMP. P. P. in postica vero, CONG. II. DAT. POP. S. C. *Congia-*

rium secundum datum Populo S.C. Petrus Bellorius *in Adnotationibus in XII. priorum Caesarum Numismata* pag. 37. num. 1. scribit: *Sedet in suggestu Imperator, & proxime in pulpito Administer Largitionis, qui calculos, sive tesserulas nummarias populo dat. Eminet simulacrum Romae galeatae cum hasta, & victoriola, nec longe adstat aliud simulacrum Liberalitatis, quod ligneum fuisse tradit Antonius Augustinus, titulum exhibens Largitionis. Unus e populo gradus scalarum ascendit, manumque protendit ad accipiendum munus: pone sequitur puerulus nudus, juxta descriptionem C. Plinii secundi in Panegyrico:* Adventante (inquit) Congiarii die, observare Principis egressum in publicum, insidere examina infantium, fususque populus solebat: labor parentibus erat, ostentare parvulos, impositosque cervicibus, adulantia verba, blandasque voces edocere. *De primo Congiario Neronis, adhuc vivo Claudio post adoptionem, scribit Suetonius:* Deductus in forum, Tyro populo Congiarium, militi donativum proposuit. *Tacitus in primo Consulatu datum memorat:* Additum nomine ejus donativum militi, Congiarium plebi. *Secundum Congiarium accidit Neronis Consulatu secundo, teste eodem Tacito:* Nerone secundum L. Pisone Consulibus, plebi Congiarium

qua-

quadrageni nummi viritim dati, & ſeſtertium quadringenties aerario illatum, ad retinendam populi fidem. *De hoc intelligit Suetonius*: Diviſis populo viritim quadragenis nummis. *Unde in noſtro Nummo titulus Congiarii, Nummarius habendus eſt; alioquin frumentarius, ſi daretur frumentum. Valentinianus, & Valens Impp. infigi Fori gradibus fecerunt titulum aeneum, qui panis modum, & nomen percipientis continebat.* Et infra num. 26. idem Bellorius de Congiario ſecundo ſcribit: „ Non tantum primum Congiarium in Foro dedit Nero, ut ex Suetonio obſervavimus num. 1., ſed etiam ſecundum, cum Fori porticus Nummus exhibeat: fori aream, porticus claudebant, ex Vitruvio, Livio, aliiſque. In Foro ludi, & ſpectacula edebantur, ubi frequens populi multitudo; & ad jura conveniebant. Unde Suetonius allatus, de Nerone ait: *Deductus in Forum, Tyro populo Congiarium, militi donativum propoſuit; indictaque decurſione, Praetorianis ſcutum ſua manu praetulit*. Simile apud Lampridium in Commodo: *adhuc in praetexta puerili Congiarium dedit. Atque ipſe in Baſilica Trajani praeſedit, quae erat in Foro*. Congiarium etiam, ſeu alimenta data a Trajano in ipſius Foro, indicat marmor anaglypthicum in ejus Arcu, nunc Conſtantini,

tini, in quo cernuntur Fori porticus, a Bellorio praetermissi in notis ad Romanarum Antiquitatum vestigia. Differt hic a primo jam exposito Nummo. Sedet Imperator in suggestu: infra Administer titulum largitionis praebet: accedit unus e populo: in edito Roma stat, cum hasta, & victoriola,,. Congiarium, seu Imperatoris munus, quod populo dabatur, *Liberalitas* etiam vocatur. Ideo in Nummis, *Congiarii* distributionem praeseferentibus, saepissime legitur *Liberalitas prima, secunda, tertia &c.* ac si dictum fuisset *Congiarium primum, secundum, tertium*. Quinctilianus lib. 6. cap. 3. *Congiarium* (inquit) *commune nomen est Liberalitatis, atque mensurae*. Congiarium autem proprie ad Populum pertinebat, donativum ad milites, ut ex laudato Suetonii loco *in Nerone* cap. 7. Quare idem Suetonius *in Augusto* cap. 41. *Congiaria Populo frequenter dedit, sed diversae fere summae: modo quadringenos, modo tricenos, nonnunquam ducenos, quinquagenosque nummos*. Et *in Tiberio* cap. 20. *Prandium dein Populo mille mensis, & Congiarium tricenos nummos viritim dedit*. Aliquando tamen haec differentia non servatur. Curt. lib. 6. cap. 2. *Millia talentum proxima praeda redacta erant, e quibus XII. millia in Congia-*

giarium militum absumpta. Exhibet Nummum, quem heic illustrare curavimus, etiam Theupolus in *Mus. Antiq. Numis.* p.402. Legitur apud Vaillant. *Num. Imp. Rom.* Tom. 1. pag. 22. *in Nerone* CONGIAR. DAT. POP. Nero togatus, adsistentibus aliis figuris, qui in substructione sedens, distribuit Congiarium; quod primum fuisse videtur, quoniam nota caret numerali, de qua supra.

180. Nummus Neronis cum epigraphe in antica, NERO. CLAVDIVS. CAESAR. AVG. GERMANIC. In postica vero, quam heic exhibemus, PONTIF. MAX. TR. POT. IMP. P. P. S. C. Nero citharedico habitu citharam pulsat. Hujus Nummi Suetonius meminit: *Sacras coronas in cubiculis circum lectos posuit, item statuas suas citharedico habitu; qua nota etiam Nummum percussit.* Petrus Bellorius *in Adnot. in XII. Caesares* pag. 42. num. 13. „ Talis (inquit) habitus talaris, fuit tunica aurea, & chlamys seu lacerna purpurea: utramque exhibet Nummus. Auctor librorum ad Herennium: *uti citharedus cum prodierit optime vestitus, palla inaurata indutus, cum chlamyde purpurea coloribus variis intexta, cum corona aurea magnis fulgentibus gemmis illuminata*. Tunica, ex textili auro purofuit sine alia materia, quo

INDICULUS TABULAE II. SAECULI I.

quo auro puro & Agrippina, teste Plinio, incedebat paludata. Cl. V. Octavio Ferrario in Opere de Re Vestiaria difficile, valdeque mirum videtur, aurum sine alia materia texi potuisse. Nos in nostra Cimeliotheca textilis auri fragmenta adservamus, effossa in urna sepulchrali viae Appiae, in qua terrae admixta purissima auri fila tunicae, ad tenuitatem capilli, reperta sunt. De Nerone Citharedo Tacitus, & Dio, & alii plures, quos infra ad argenteum numum 2. idem Bellorius percurrit. Extat apud Patinum de *Num. Imp. Rom.* pag. 118. tertius Neronis Nummus cum Graeca epigraphe. Neronem habitu Apollinis Citharedi in eo quoque videmus, qualem post tot acquisitas in variis certaminibus coronas Suetonius *in Nerone* cap. 24. & 25. describit, verbis a Bellorio mox allegatis. Quod Romanis, & Graecis characteribus insignitos ejus formae Nummos videamus, id indicat, & in Italia, & in Graecia signatos esse, e qua discedens, Provinciam universam Civitate donavit, Citharam a certaminum judicibus sibi delatam adoravit, ferrique ad Augusti statuam jussit. *In theatrum prodiit*, inquit Xiphilinus cap. 12., *stetitque Caesar in scena, habitu citharedi*. Neronem dictum fuisse Apollinem, cujus nomen in Patini Nummo

le-

legitur, docet idem Xiphilinus, dum adulantes ipsi viros exclamasse frequenter ait, *Quam pulcher Caesar, Apollo, Augustus, unus veluti Pythius! &c.* & alibi, *Neroni Herculi, Neroni Apollini &c.* Videsis Neronis Nummum, quem in praesentia illustramus, etiam in Museo Arschotano Tab. 20. num. 24., apud Begerum Tom. 2. pag. 624., Erizzo pag. 225, Gesnerum Tab. 47. num. 18., Harduinum pag. 721., Mediobarbum pag. 95, Theupolum Tom. 1. pag. 405, & Musellium Tom. 1. Tab. 25. num. 4. ac Tom. 3. pag. 72.

181. Nummus Neronis cum epigraphe in antica, IMP. NERO CAESAR AVG. PONT. MAX. TR. POT. P. P. *Caput Neronis laureatum*. In postica vero, quam heic exhibemus, S. C. *Arcus triumphalis, supra quem quadriga cum victoriolis*. Mollibus adhuc initiis prolatatum inter Parthos, Romanosque de obtinenda Armenia bellum, anno Aerae Christi Uulgaris 58. acriter erupit: quia Vologeses non sinebat fratrem Tiridatem dati a se Regni expertem esse, aut alienae id potentiae donum habere, & Corbulo dignum magnitudine Populi Romani rebatur, parta olim a Lucullo, Pompejoque recipere. Ad bellum id Corbulo militem prisca severitate & disciplina formavit, Armeniamque

INDICULUS TABULAE II. SAECULI I.

ingressus, Castella aliquot excidit, & Urbem Artaxata succendit, Tiridate praelium inire non auso, ut scribit Tacitus *Annal.* lib. 13. a cap. 34. ad 41. Quare Neroni Arcus, statuae, araeque constructae. *Ob haec* (inquit laudatus Tacitus cap. 41.) *consalutatus Imp. Nero, & SENATUS CONSULTO supplicationes habitae, Statuaeque, & Arcus, & continui Consulatus Principi.* Vide Castal. de *Columm. Triumph.* Thesaur. Antiquit. Rom. Grevii Tom. IV. pag. 1946. Referri ergo hic Nummus potest ad Arcum illum Neroni erectum in Capitolio, circumstructis ad commodum & dignitatem porticibus in area, inter duos vertices. Tacitus *Annal.* xv. cap. 18. *At Romae Tropaea de Parthis, arcusque medio Capitolini montis sistebantur, DECRETA AB SENATU integro adhuc bello.* Donatus *de Urbe Rom.* lib. 2. cap. 10. Arcum Neronis heic quidem collocat ex Taciti verbis. Sed Taciti verba, quamvis satis commode de ea Capitolii parte intelligi possint, quae substructionibus subjacebat, & praecipue de area inferiore, in qua Templum erat Jovis Tonantis, non tamen areae magis intermontii convenire negaverim. Vide Nardinum *Rom. Veter.* lib. 5. cap. 13. Exhibent Nummum, de quo loqui-

quimur, Muſeum Arſchotanum Tab. 20. num. 19., Begèrus Tom. 2. pag. 624., Erizzo pag. 218., Geſnerus Tab. 47. num. 4., Mediobarbus pag. 92., Nummophilacium *Reginae Sueciae* Tab. 4. num. 19., Vaillantius *Num. Imp. Rom.* Tom. 1. pag. 22., Theupolus *Muſ. Antiq. Numiſ.* Tom. 1. pag. 407., & Muſellius Tom. 1. Tab. 23. num. 7. ac Tomo 3. pag. 70. Lege *Chronicum* ad ann. 58. pag. 126.

182. Nummus Neronis cum epigraphe in antica, NERO CLAVD. DIVI F. CAES. AVG. GERM. IMP. TR. P. COS. *Nero Claudius Divi Filius*, nempe Claudii (ex adoptione, ex quo etiam nomina & cognomina accepit) *Caeſar Auguſtus Germanicus Imperator Tribunitia Poteſtate Conſul*: in poſtica vero, AGRIPP. AVG. DIVI CLAVD. NERONIS CAES. MATER. nempe *Agrippina Auguſta Divi Claudii* (ſubauditur UXOR) *Neronis Caeſaris Mater*. Haec eſt Julia Agrippina, Agrippinae alterius, & Germanici filia, ſexta uxor Claudii, quae deſponſata prius Paſſieno Criſpo, inde Cneo Domitio Aenobarbo, Mater fuit Claudii Domitii Neronis Imperatoris. Illa vero Agrippina (de qua ſermonem habet Suetonius relatus in Indiculo num. 128.) eſt Agrippina Senior, M. Agrippae & Juliae filia, Ger-

manici uxor, & Mater Caligulae Imperatoris, quae genuit hanc Agrippinam sextam Claudii uxorem. Quadrigae Elephantorum Currum vehunt, in quo figura virilis togata & radiata sedet, dextra hastam puram gerens: prope eam mulier, quae item dextra Aquilam Legionariam tenet. *Claudius*, ut narrat Suetonius in ejus Vita cap.2. *Aviae Liviae divinos honores, & Circensi Pompa Currum Elephantorum Augustino similem decernendum curavit. Nero Nummum cudit Claudio, & Liviae. Claudius inter Divos relatus corona radiata insignitur. Livia tanquam Mater Castrorum Aquilam Legionariam gerit. Nero ipsis quoque statuas consecravit, quae in ejus Nummis visuntur cum epigraphe AVGVSTVS. AVGVSTA.* Vide ea, quae nos scripsimus in hoc Indiculo num. 125. 128. 131. 145.

183. Nummus Neronis, cum epigraphe in antica, NERO CAESAR AVGVSTVS : in postica vero, quam heic exhibemus, ARMENIAC. *Victoria gradiens, quae dextra coronam, sinistra lauream gerit*. Initio Imperii Neronis Vologeses Parthorum Rex Armeniam invadere conatus est. Sed Nero, ut supra diximus n. 181, Corbulonem huic Provinciae retinendae praeposuit, qui cum Vologese pacem ini-

inivit. Ea de causa assentationis gratia signatus Neroni Nummus, cum typo Victoriae Armeniacae. Armenia, omnia (Parthico excepto) in Oriente Regna, quae Romanis cognita erant, magnitudine superabat. Vide TrogumPompejum in Epitome libri 42. Justini, & Strabonem exTheophane lib. 11. p. 365. Ab Appiano in Praefat. laudatur *Armenia, nulla quidem* Romanis tributa pendens, sed ex eorum auctoritate *Reges accipiens*. Ex quo enim Pompejus anno U. C. 688. Tigrani Armeniae Regnum reddidit, ac Augustus semel, iterum, ac tertio Armeniis Regem imposuit, subsequuti Caesares id in Armenios juris exercuere; unde etiam saepius cum Parthis, eandem sibi potestatem usurpantibus, bella gessere, de quibus Tacitus lib. 6. cap. 11. ac sequentibus scribit. Trajanus Romanorum Principum primus Armeniam in Provinciae formam redegit. Regibus Armenis datis Imperatores Augusti pro arbitrio tributa ac milites imperabant, & si quid gravius contra eosdem peccabant, delati ad Caesares, in judicium vocabantur: siquidem Archelaus Rex Cappadocum, itemque ejusdem nominis Ethnarcha, apud Augustum delati, Romam vocati sunt. Bello Romanis instante, copias, ab Imperatore jussi, in Romana Castra mittebant, ac Legato-

rum

INDICULUS TABULAE II. SAECULI I.

rum Syriae dictis audientes erant, quoties hostium metus immineret. Scribit *de Nerone* Tacitus lib. 13. *Legionesque ipsas propius Armeniam collocari jubet, duosque veteres Reges Antiochum, & Agrippam expedire copias, queis Parthorum fines intrarent*. In alio quoque Neronis Nummo apud Vaillantium To. 2. pag. 62. legitur in antica NERO DIVI CLAVD. CAESARIS F.... *Caput Neronis laureatum*: & in postica, ARMENIAC. *Victoria gradiens, dextra coronam, sinistra lauream tenens*, ut in nostro, quem heic illustramus. Rufus *in Breviario*: *Claudius* (inquit) *Caesar nepos Augusti, cum exercitu missus ad Orientem, cum per majestatem Romani nominis facile cuncta sedasset, atque ei se Armenii, qui tunc temporis validiores erant, cum Parthis dedidissent, judicesque, instituto Pompeji, praedictis Gentibus Claudius Caesar praeficeret, Domnes quidam, quem Parthis Arsaces praeposuerat, proditione simulata, libellum, in quo scripti thesauri continerentur, obtulit, quem cum Imperator Romanus legeret intentius, ultro aggressus, gladio vulneravit*. Haec mirifice Nummum superius allatum illustrarent, si Rufus vera scriberet. Sed ipse Claudium falso nominat, cum Cajum Caesarem scribere debuisset: rursus errat, cum ait, Par-

Parthos se Caesari dedidisse: etenim ante annum pacem cum Cajo fecerant, ea tantum conditione, ut ex Armenia praesidia revocarent: praeterea *Domnem* vocat, quem Vellejus lib. 2. cap. 102., Dio in excerptis a Zonara, & Strabo lib. 11. pag. 364. *Addum*, seu *Adorem* nuncuparunt; nec illum Parthis Arsaces, sed Armeniis novus Rex Ariobarzanes praeposuerat, teste laudato Strabone, ut animadvertit Em. Card. Norisius in Dissert. 2. *de Cenotaphiis Pisanis* cap. 17. col. 539. Edit. Veron. Nero igitur in Claudii familiam adscitus, *Armeniacus* in Nummis ex turpi solum assentatione dicitur: nam revera ipse amisit Armenias duas, Rege iis Tiridate a Parthis imposito. *Armeniacus* cognominatus fuit praesertim M. Antoninus Philosophus, ut Julius Capitolinus testatur in ejus Vita cap. 9. ob res suo nomine in Armenia prospere gestas per Statium Priscum, Artaxatis captis. Quod cognomen ob verecundiam primo recusavit, sed tandem postea recepit. Vide Ursatum *de Not. Rom. Thes. Antiq. Roman. Graevii* Tom. XI. pag. 558.

184. Nummus Neronis cum epigraphe in antica, IMP. NERO. CAESAR. AVG. PONTIF. MAX. TRIB. POT. P. P. in postica vero, quam heic exhibemus, ita legitur, ADLO-

CVT.

INDICULUS TABULAE II. SAECULI I.

CVT. COH. Petrus Bellorius *in Adnotationibus in XII. priorum Caesarum Numismata* pag. 38. num. 5. egregie hunc Nummum illustrat. *Nero*, inquit, *paludatus e suggestu, vel in Tribunali Castrensi, seu Praetorio, alloquitur milites. De concione militibus habita post detectos mortique adactos conjuratos, Tacitus*: Quibus properatis, Nero, & concione militum habita, bina Nummum millia viritim manipularibus divisit. *Angelonus opinatur, concionem habitam ad Cohortes a Nerone, comitante Burro, cum Imperator salutaretur: sed cognomen Patris Patriae, quod legitur in Nummo, tunc recusatum a Nerone, contrarium suadet*. Adlocutio Cohortium dicta, cum Imperator publice suos milites affabatur, retinens eos, aut impellens ad pugnam. Retinebat enim aliquando nimis aut propere gestientes, impellebatque tardantes, aut meticulosos. Utillimum hoc vetus institutum; cum Imperator consilio, & saepe eloquio validus, & semper auctoritate, suos composita oratione excitaret, & timidis robur ac vires adderet. Ab illo ardore ad pugnam recta ibant, cum praesentia Imperatoris adhuc in oculis, & verba in auribus versarentur. Saepe interequitans, ordines ita affatus est sub ipsam pugnam, saepe in Castris, & an-

&ante egressum. Aliquando etiam extra suspicionem omnis pugnae, si qua orta seditio, aut querela, aut alius animorum morbus, cui sermone mederetur. Cum in Castris, aut etiam in ipso campo interdum, fiebat in Tribunali. Milites circa hoc non confuse, nec ut quisque accurrerat, sed, ut in hoc Nummo, per manipulos, & turmas adstabant, cum pilis, & signis. Vide Pitiscum in Lexico verbo *Adlocutio*, Lipsium *de Mil. Rom.* lib. 4. Dial. 9, Stevvech. *in Vegetium* lib. 3. cap. 9., & *Thesaurum Antiq. Rom.* Graevii Tom. x. pag. 1572. Extat Nummus, de quo loquimur, apud Angelonum pag. 53., Museum Arschotanum Tab. 21. num. 18., Erizzo pag. 218., Gesnerum Tab. 46. num. 17., Harduinum pag. 722., Mediobarbum pag. 90., Nummophilacium *Reginae Sueciae* Tab. 4. num. 17., Vaillantium Tom. 1. *Num. Imp. Rom.* pag. 21., Theupolum *Mus. Ant. Num.* To. 1. pag. 402., & Musellium Tom. 1. Tab. 22. num. 3. ac Tom. 3. pag. 69.

185. Inscriptio *Octaviae* (filiae) *Tiberii Claudii Caesaris Augusti Patris Patriae*, in qua visitur Digamma Aeolicum Ⅎ ab eodem Claudio Imperatore primum inventum. Exstat apud Gruterum p. 238. nu. 6., quam a Florentio accepit Smetius. Hoc fragmentum pertinet

ad nonam Inſcriptionem apud eundem Gruterum p. 236., & eſt ex Arcu Aquae Claudiae Virginis, eodem loco, & tempore inventum anno 1562. Quare Ligorius hoc cum ceteris fragmentis ejuſdem Inſcriptionis bene conjungit. Vide noſtrum Indic., num. 144. 145. & 157.

186. Nummus Octaviae, cum epigraphe in antica, OCTAVIA. NERONIS. AVG. *Caput Octaviae*. In poſtica GEN. COL. COR. Q. FVL. FLACCO. IIVIR. *Genius Coloniae Corinthi Quinto Fulvio Flacco Duumviro*. Figura muliebris ſtolata ſtans, quae dextra pateram, laeva cornucopiam gerit. Vide quae ſcripſimus de eodem Nummo in hoc Indiculo num. 167., & Vaillantium *de Coloniis* Tom. 1. pag. 182.

187. Haec Tabula, quae extat Florentiae apud Nobiles Gaddios, refert ichnographiam cujuſdam ſepulchri, cum numeris ſingularum ollarum. Octavia Divi Claudii filia heic memorata, fuit prima uxor Neronis, quam truculentiſſimus Imperator cito aſpernatus dimiſit, relegavitque, ac tandem ſub adulterii praetextu juſſit occidi. Vide ſupra in Indiculo num. 165. 166. 167. Claudia Peloris Octaviae Auguſtae Liberta, ac Tib. Claudius Eutychus Auguſti Libertus ac Procurator Auguſtorum, Sororibus ac Liberis, Libertabuſque Po-

Posterisque eorum ... mas aedificii custodiae & monumenti reliquerunt. Exstat Floriani in Agro Veronensi Inscriptio relata a Grutero pag. *376. 6*, quae alium Procuratorem Augustorum exhibet:

INDICULUS TABULAE II. SAECULI I.

Q. CAICILIO
CISIACO. SEPTICIO
PICAI. CAICILIANO
PROCVR. AVGVSTOR. ET
PROLEG. PROVINCIAI
RAITIAI. ET. VINDELIC
ET. VALLIS. POENIN. (lege PENNINAE) AVGVR.
FLAMINI. DIVI. AVG. ET ROMAI
C. LIGVRIVS. L. F. VOL. ASPER
COH. I. CR. INGENVOR.

Procurator Augusti, seu Caesaris, (qui & Procurator Principis) *in l. abesse ff. ex quibus caus. major.* etiam Procurator Imperatoris dicitur; & *l. fin. ff. de jure Fisc.* eodem munere in Provinciis, quo Praefectus Aerarii in Urbe, fungebatur. Cognoscebat enim uterque inter Fiscum, & privatum. Procuratores hosce primus misit Augustus in Provincias, alios ex Equitibus, ex *Libertis* alios, qui publicos redditus colligerent, & mandata ejus exequerentur. Dio libr. 53. p. *506.* *Procuratores*, inquit, (*ita enim appellamus eos, qui publicos redditus colligunt, erogantque in omnes Provincias, tam suas, quam*

Ppppp 2 *po-*

INDICULUS TABULAE II. SAECULI I.

populi), *Caesar mittit*, *quosdam ex equitibus*, *QVOSDAM E LIBERTIS*. Auctore Claudio data est illis jurisdictio in causis Fiscalibus, ut in pecuniariis inter Fiscum, & privatos. *Precario* hoc *exegit* Claudius a Senatu, *ut quae Procuratores sui statuerent in judicando*, *rata essent*, ut scribit Suetonius in ejus Vita cap. 12: cui assentitur Tacitus *Annal.* lib. 12. cap. 60. *Eodem anno*, inquit ille, *audita vox Principis*, *parem vim rerum habendam à Procuratoribus suis judicatarum*, *ac si ipse statuisset*. *Ac*, *ne fortuito prolapsus videretur*, *Senatus quoque Consulto cautum plenius*, *quam antea*, *& uberius*. Non solum quae judicata sunt, sed quae *gesta a Procuratore Caesaris*, *sic ab eo comprobantur*, *ac si a Caesare gesta essent* l. 1. ff. *de offic. Proc. Caes.* Quare eorum munus, *Procurationes amplissimas* dixit Suetonius *in Galba* cap. 15., quas Imperatores suis familiaribus, libertisque, aut viris receptae auctoritatis mandare solebant. Vide Gutherum *de Offic. Dom. Aug.* lib. 3. cap. 33., Lipsium *in Tacitum*, & ad eundem librum *Excurs.* B. Hotoman. *de Magistrat. Roman. lib. I.*, *Thes. Antiq. Roman.* Graevii Tom. 2. pag. 1879, Brisson. *Ant. Select.* lib. 3. cap. 18., Bulengerum *de Imp. Rom.* lib. 3. cap. 19., & Burman-

mannum Differt. *de Vectig. Populi Romani* cap. 8. Sed haec *de Procuratore Augustorum* fatis. Custodia monumenti, de qua idem marmor loquitur, quod heic illustramus, ad *Custodem* pertinebat; cujus erat monumenti fores claudere, aperire, a furibus cavere, & floribus ac corollis sepulcrum ornare, ut videre licet apud Gutherum *de Jure Manium* lib. 2. cap. 31., Gonsal. *in Petronium* pag. 276., & Kipping. *Antiq. Roman.* libr. 4. cap. 6. Propertius III. 14. 22. ait,

Afferet huc unguenta mihi, sertisque sepulcrum
Ornabit Custos ad mea busta sedens.

188. Nummus Octaviae Neronis uxoris, de quo supra in Indiculo num. 167.

189. Nummus Neronis, cum epigraphe in antica, quam heic exhibemus, ΠΟΠΠΑΙΑ ΝΕΡΩΝΟΣ ΣΕΒΑΣΤΟΥ. *Caput Poppaeae Sabinae secundae uxoris Neronis*; in postica vero, ΝΕΡΩΝ ΚΑΙΣΑΡ ΣΕΒΑΣΤΟΣ. *Caput Neronis laureatum*. Nero habuit uxores Octaviam, Poppaeam (de qua heic agitur), & Messalinam: sed harum nemini, ut testatur Vaillantius Tom. 2. *Num. Imp. Rom.* pag. 69. Senatus Nummos percussit. Quaedam tamen Graeciae Urbes id praestitere, Poppaeam conjungentes cum Nerone. Vide & alium Poppaeae Nummum apud eundem Vaillantium *Numis. Graec.* pag. 18.

190. In-

INDICULUS TABULAE II. SAECULI I.

190. Inſcriptio Caurionis obſonatoris Poppaeae Auguſtae , quae exſtat apud Muratorium in *Novo Theſauro Vet. Inſcript.* pag. 916. num. 10. Obſonator vocabatur, qui obſoniis comparandis praeerat . Athenaeo ὀψώνης , & ἀγοραστής. Ejus officium erat coemere , quae uſus domeſticus expoſtulabat. Seneca in Epiſt. 47. *Adjice*, inquit, *obſonatores, quibus dominici palati notitia ſubtilis eſt, qui ſciunt, cujus rei illum ſapor excitet, cujus delectet aſpectus, cujus novitate nauſeabundus erigi poſſit*. Vide Pignorium *de Serv.* pag. 111., Sponium *Miſcel. Eruditae Antiquit.* Sect. VI. pag. 214., Stuck. *Antiq. Conviv.* lib. 2. cap. 11., Urſinum in Appendice ad Ciacconium *de Triclin.* pag. 347., Bulengerum *de Conviv.* lib. IV. cap. 1., Caſaubonum *in Spartian. Hadrian.* cap. 17., & in Athenaeum VIII. 14, Gutherum *de Offic. Dom. Aug.* lib. 2. cap. 11., Kippingum *Antiq. Roman.* lib. IV. cap. 1. §. 1., Hummelb. in Apicium *de Arte Coquin.* lib. V. cap. 3., & Zimmermam. *Floril. Philol.* pag. 581.

191. Caput Neronis truculentiſſimi Imperatoris ex marmore Capitolino . Viſitur laevus, ac minarum ſpirans & caedis, cujus in vultu mollis per ambas malas lanugo ſuboritur . Doctiſſimus Praeſul Bottarius Tom. 2. Mu-

2. Musei Capitolini pag. 16. hanc Protomen ita describit: in altera malarum adparet macula, an vitio marmoris, nescio, sed quae verbis Suetonii mire respondet: *Statura* (inquit in ejus Vita cap. 51.) *fuit pene justa, corpore maculoso, & foedo, subflavo capillo, vultu pulchro, magis quam venusto*. Et Antonius Zantanus ait, ipsum fuisse *mediocri corpore, foedo, & lentiginoso vultu*. Quod fortasse, ut exprimeret Artifex, hoc data opera maculosum marmor selegit, ad ejus imaginem excudendam. Illa autem pulchritudo, gratia ac venustate carens, adparet luculenter etiam in alia Neronis Protome Capitolina, de qua ibidem erudite de more scribit laudatus Clarissimus Praesul num. 16. Addit idem Suetonius loco mox recitato: *oculis caesis, & hebetioribus; cervice obesa; ventre projecto; gracillimis cruribus; valetudine prospera &c. Circa cultum, habitumque, adeo prudens, ut comam semper in gradus formatam, peregrinatione Achaica etiam pone verticem summiserit*: qui nimirum accuratus capillorum comptus visitur in ambabus Protomis Capitolinis, atque in ceteris etiam, quae alibi extant, & praecipue in ea Magni Ducis Etruriae. Haec tamen crines comendi ratio vitio vertitur a Quintiliano *Instit.* lib. 12. cap. 10.

cap. 10. Multum desudat Salmasius ad Suetonium *in Nerone* cap. 51., ut hujus verba, *comam in gradus formatam*, enarret: & quidem quamplura erudite comminiscitur; sed in his sculpturae operibus omnia clarius apparent. In duobus Capitibus Musei Capitolini, cum ipsa insculpta fuerint ante Achaicum iter, capilli non in verticem rejecti, ac diducti sunt, sed in frontem demissi. Quamvis autem Senatus Populusque Romanus Neronem pro portentoso crudelitatis monstro haberet, attamen publice illi Statuas decrevit; nec Otho hoc vetuit: quin immo probavit, secundum Plutarchum *in Othone* pag. 1067. Et, ut ait Tacitus *Hist.* lib. 1. cap. 78. in animo habuit imagines Neronis restituere, quae dejectae fuerant: *creditus est* (inquit) *etiam de celebranda Neronis memoria agitasse, spe vultum alliciendi: & fuere, qui Imagines Neronis proponerent*, vel, ut nonnulli legunt, *reponerent*. Sed apertius rem narrat Suetonius *in Nerone* cap. ultimo, dicens, *& tamen non defuerunt, qui per longum tempus vernis aestivisque floribus tumulum ejus ornarent; ac modo Imagines Praetextatas in rostris proferrent*. Nemo autem miretur, lanuginem, quae circa malas in hac protoma Capitolina conspicitur, longiorem apparere,

quam

quam ferat historia: etenim Suetonius ibidem cap. 34. narrat, eum, cum amitam suam male affectam visitasset, & *illa tractans lanuginem ejus, ut assolent jam grandes natu*, (ut Critici emendant) *per blanditias forte dixisset: simul hanc excepero, mori volo; conversum ad proximos, confestim se positurum, velut irridens, adfirmasse*. Quamobrem, si ejus lanugo tractari ac palpari poterat, & jam rasilis erat, evidens est, eam longiorem fuisse. Hoc etiam confirmatur ex Nummo apud Vaillantium pag. 9. in quo Nero ferme barbatus expressus est. Praeterea dicendum est, ejus vultus lineamenta fuisse ad saevitiam (ut visitur in hac Protome) composita: nam & hujusmodi fuerat servus ille ex Ponto, qui se pro Nerone post ejus mortem venditabat, teste Tacito *Histor.* lib. 2. cap. 10., qui, postquam dixerat, eum Neroni omnino similem fuisse, subdit, *corpus insigne oculis, comaque, & torvitate vultus habuisse*.

192. Inscriptio Neronis, edita a Murat. To. 1. *Nov. Thes. Vet. Inscr.* p. 227. nu. 4., & reperta Caecinae in agro Lunensi, in aedibus Moreschiorum. Legitur autem in laeva parte cujusdam Tabulae marmoreae, una cum alia Inscriptione. Haec, quam, ut inquit idem Murat. de-

bemus diligentiaeCl.Gorii,eo pluris nobis facienda est, quo rariores sunt Inscriptiones ad Neronem furiosum Augustum spectantes:ejus quippe monumenta post mortem dejecta, & nomen fere ubique e publicis saxis abrasum. An.Chr.65. *A.Licinius Nerva.Sillanus* Consul processerat: eodemque votum a Lucretiano isto conceptum, completum postea fuit an.Ch. 66. quo elogium hoc marmore inscriptum videmus. Praeter alia munera, Consulatum etiam gessisse videtur *Lucretianus* iste: sed nullum illius vestigium in Fastis occurrit; ita ut, si quidem revera Consul fuit, Suffectum credere cogamur. Almelovenius An. Ch. 52. nobis exhibet Consulem (an bonis tabulis nescio) *M. Licinium Crassum Mucianum*. Ejus nomem accedit ad *L. Licinium Glaucum Lucretianum*, de quo hic lapis agit. Itidem Consulatum gessit anno Ch. 64. *M. Licinius Crassus*. Baleares Insulae pariter in altero lapide Gruteriano *Baliares* appellantur. *Patronus Coloniae Lunensis* fuisse iste videtur. Sed aliunde non constat, *Coloniae* honorem delatum fuisse Civitati illi: atque adeo P. C. aliter interpretari juvat; fortasse *Quatuor-vir Potestate Censoria*, aut potius *IIVIR.IV.DIC.*, hoc est *Duumvir jure dicundo*. Reliqua illius munera praetereo.

193. VE-

193. VESTIGIA PALATINAE DOMVS CAESARVM AVGVSTORVM IN HORTIS FARNESIANIS, a Praesule Francisco Blanchino Patruo meo illustrata in insigni Opere Italice scripto DEL PALAZZO DE' CESARI, quod ego, ad Romanae magnitudinis decus & ornamentum, una cum Latina versione, Tabulisque quamplurimis ex aere mea impensa incisis, Veronae, (quae mihi Patria est) edendum curavi Typis Petri Antonii Berni, Anno Domini 1738. sub auspiciis CHRISTIANISSIMI GALLIARUM REGIS LUDOVICI XV. Hoc Palatium Caesarum Augustorum, suis Aedibus totum fere Palatinum Collem, (qui prima fuit Romuli Urbs, cursuque temporis una Caesarum Domus evasit) occupabat. Erat enim tanquam area, cui Imperatorum Augustorum Regia superstruebatur, illud Palatini Collis spatium, ab eodem Patruo meo in iconismo quatuor lateribus conclusum, quod dici potest trapezium, quamproxime accedens ad parallelogrammum rectangulum, quod duobus lateribus utrinque Romanos pedes 1300., duobus vero aliis 1400. & 1450. circiter pedes patet; & a veteri subjectae Urbis & Viarum solo, 120, ab hodierno autem, 100 Romanorum pedum altitudine assurgit. Eo ex trapezio, exhibito in

INDICULUS TABULAE II. SAECULI I.

eodem libro pag.21. & in sequentibus descripto, apparet, ductum ab Architectis Caesarum Parallelogrammum rectangulum altera parte longius, ad ponenda Regiae Domus fundamenta: cujus parrallelogrammi duo latera Circo Maximo parallela, protenduntur Romanos pedes 1400; duo vero reliqua ad angulos rectos prioribus insistentia, pedes Romanos fere 900. in cujus spatii parallelogrammi dimidia parte ad hibernum Orientem sita, posita fuit Augusti Domus; in altera vero, quae ad Occidentem Aestivum superest, a Tiberio erectum & a Caligula perfectum fuit tantundem Aedium, quantum Augusteis responderet. Utraque vero aedificatio, post incendia sub Vitellio, per Domitianum instaurata agnoscitur, atque ad magnificentiorem structuram, ordinemque aptiorem redacta; qualis per multas aetates ab hujus in Imperio Successoribus parum immutata remansit. Index Capitulorum totius egregii Operis Blanchiniani, DE REGIIS ANTIQUORUM CAESARUM AEDIBUS IN URBE ROMA, hic est,

I. *Occasio scribendi vulgandique hujus Libri, in quo agitur de Ichnographia, Orthographia, partibusque inservientibus ornamento Romanae Antiquorum Caesarum Domus.* II. *Ope-*

tuendas Palatinas Caesarum Augustorum, Aedes prope Atrium ac Vestibulum sita, deque aedificiis aliis, quae Stationi erant proxima, neque a Principibus fuere dejecta, quorum hoc tempore vestigia permanent, & mentio apud Scriptores occurrit.

X. De Balneis Domus Tiberianae.

XI. De structura Aedificiorum a Nerone Domui Palatinae adjectorum, productorumque a Palatio ad Exquilias, paullo post a Successoribus dejectorum, praesertim vero a Tito, qui suas ibidem Thermas erexit, deque amplitudine Neroniani illius operis, a Nerone Domus Aureae nomine nuncupati.

De Regiis Aedibus Palatii Tiberiani, vide supra num. 107. Novimus autem DOMUM NERONIS AUREAM in Exquilias usque productam. Vestibulum, ejusdemque magnitudinem, & ornatum novimus. *Vestibulum ejus fuit, in quo Colossus* 120. *pedum staret cum ipsius effigie:* Suetonius *in Nerone* cap. 31. *Aliqrum item quarundam partium immensi illius Aedificii nota est amplitudo: tanta laxitas, ut porticus triplices milliarias haberet, item stagnum, maris instar, circumseptum aedificiis ad Urbium speciem.* Locus Colossi,

ex

ex quo Colossei nomen traxit Amphiteatrum, illi e regione extructum, nos docet, ad Atrium interpositum Collibus Palatino & Exquilino, pari utrimque planitie aequatis, disposita fuisse hinc inde Domus Aureae latera, atque adnexa aedificia. Quare cum Patruus meus amantissimus in Palatino Colle ostenderit Aedificiorum Augusti positum, eorumque ad illa responsum, quae Tiberius & Caligula statuerunt; atque ex duabus Domibus Tiberiana & Augustana unum Domus Palatinae corpus efformaverunt; si hoc ipsum duplo majoris corporis dimidium fiat, in alio etiam dimidio eadem libramenta servantis, (quod magnum Vestibulum cum Atrio, Cavaedioque intercipiat), non adeo forma deletae a Tito Neroniani aedificii partis obscura fuerit, quin eam pars superstes ostendat.

194. Mansiones Saliorum appellantur aedificia, in quibus Ancilia tempore Festi, quo per Urbem circumferebantur, Salii custodiebant, ibique pernoctabant, & Genio indulgebant. Festus lib. 17. explicans quidnam fuerit ROMA QUADRATA, scribit: *Quadrata Roma in Palatio ante Templum Apollinis dicitur, ubi posita sunt, quae solent boni ominis gratia in Urbe condenda adhiberi, quia saxo munitus est locus initio in speciem quadratam.*

INDICULUS TABULAE II. SAECULI I.

tam. Ejus loci Ennius meminit, cum ait:
Et quis extiterit Romae regnare quadratae.
Heic custodiebantur (ut etiam Nardinus explicat in Regione 10., quae Palatii est, pag. 391., Donatum sequutus, & Graecos, Latinosque Scriptores veteres, ab eodem Donato, atque a Panvinio laudatos) in Sacrario Martis (quod etiam erat Sacrarium, & Curia Salinorum Palatinorum) lituus auguralis Romuli, ut liquet ex Valerio Maximo lib. 1. cap. 8. eaque omnia, quibus in Urbe ponenda usi fuerunt, aratrum, inquam, ligones, decempeda, indumentaque in eam rem adhibita juxta ritum, quem ab Etruscis Romani acceperant, quae Nummis Semproniae Gentis insculpta sunt. Ipsa quoque Saliorum Palatinorum ancilia heic servabantur: iisdemque Saliis locus ad inhabitandum tributus erat, Mansionis titulo, & Sacrarii, & Curiae, ut ibi ad munia sua obeunda conventus haberent: quod lapis (quem heic illustramus) a Petro Appiano, itemque a Nardino lib. 6. cap. 12. productus docet: Exstabat Romae supra Forum Trajani in fundamentis Atrii S. Basilii, editus a Grutero ex Appiano, & Mazochio, itemque Metello, qui habuit a marmoris descriptore. Curia Saliorum Palatinorum erat in Regione Urbis X.

Rei-

Reinesius legit PROMAGTISERIO, ideſt, cum Magiſtri Pontificum Veſtae eſſent. Sic Promagiſter Collegii Fratrum Arvalium apud Gruterum pag. 120. 3., & pag. 447. 7. PROMAGISTER LVCI DEAE DIAE. Poſtrema quinque nomina Scaliger putat eſſe unius hominis. Reineſio videntur plurium eſſe. Videinfra Cuperum, qui hanc Inſcriptionem illuſtrat IV. Obſervat. 2. *Ego Saliorum domunculas ad Sacrarium Martis conſtructas in illa intelligi puto*, inquit Borrichius *Ant. Urb. Fac.* cap. 12. *Et ego prope Pontificis Regiam*, ait Struvius *Ant. Rom.* cap. 12. p. 620. Sicut autem Mars Pater, ſic *Mater* Romanis dicta eſt *Veſta*, tanquam unum & praecipuum e Tutelaribus Urbis, ac Domus inprimis Auguſtae: quorum utrumque innuit Virg. *Georg. I.* 498.

Di Patrii indigetes, & Romule, Veſtaque Mater,
Quae Tuſcum Tiberim, & Romana Palatia ſervas.

Eadem nempe, quae Palatina Dea, ſeu quae Romae (juxta Apollinem Palatinum inde dictum) in Palatio fuerat conſecrata, de qua Ovidius n. 949.

Aufert Veſta diem, cognati Veſta recepta eſt
Limine; ſic juſti conſtituere Patres.

INDICULUS TABULAE II. SAECULI I.

Phoebus habet partem, Vestae pars altera cessit;
Quod superest illis, tertius ipse tenet.
Quaeque, inde *inter Caesareos Penates sacrata*, *Caesarea Vesta* dicitur. Ovidius *Metamor.* xv. 864.
Vestaque Caesareos inter sacrata Penates.
Et cum Caesarea, tu Phoebe, domestica Vesta.
Quoniam vero laudatus Gisbertus Cuperus Observationum libro quarto (in quo antiqui ritus eruuntur; Auctores Graeci, & Latini emendantur, atque illustrantur) edito Daventriae 1678. de hac insigni Inscriptione insignem Commentarium concinnavit cap. 2. p. 14. & sequentibus, heic referam ea, quae Vir Cl. habet:,, Libro (inquit) Observationum primo docui, arma Romanis, οπλα Graecis, praecipuae scuta significare, dixique eam ob causam ANCILIA, sive scuta Saliorum, vocari ARMA in veteri (ne quid de Ovidio, Livio, Dionysio, aliisque, quorum verba laudabuntur, dicam) Inscriptione, quae extat in Divino Gruteri Opere, quamque hoc capite illustrare animus est:

MANSIONES &c. *Vide nostram Tab.*
Laudat hanc etiam Dempsterus ad Rosinum; sed ibi pro ANNALIVM, scribitur MAGNATIVM, pro LONGA AETATE, LONGANI-

NIMITATE, pro MAGISTERIO &c. MAGISTRO. PROTI JACILII; & denique τὸ VITRASII omittitur. In Francisci vero Jucundi schedis legi MAGNALIVM, & LONGAMINITATE, testis est Gruterus apud Carolum Neapolim in Ovidii Fastos; & apud Gruterum vel Scaligerum potius in Indice ANCILIUM vel Anciliorum extat. Sed ego vix dubito, quin *Annalium*, uti magis ex interpretatione patebit, vera & genuina scriptura sit. SALIOS Sacerdotes Martis, a saliendo & saltando dictos esse, plerique veterum censent. Hi in marmore vocantur PALATINI, ad differentiam aliorum. Nam Numa Pompilius ex Patriciis legit XII Juvenes forma & virtute praestantissimos, quibus nomen a Monte Palatino, in quo sacra Marti celebrabant, inditum est. De iis loquitur Livius l. 1. cap. 21. *Salios item XII. Marti Gradivo legit, tunicaeque pictae insigne dedit, & super tunicam, aeneum pectori tegumen: caelestiaque ARMA, quae ANCILIA appellantur, ferre, ac per Urbem ire canentes carmina cum tripudiis sollennique saltatu jussit.* Haec ANCILIA Inscriptionis nostrae auctor non inerudite vocat ARMA ANNALIA, quia singulis annis (Turneti enim errorem, arbitrantis mota non fuisse nisi indicto bello,

Indiculus Tabulae II. Saeculi I.

INDICULUS TABULAE II. SAECULI I.

castigavit Lipsius l. v. *Ant. Lect.* cap. XVI.) stato tempore per Urbem ex instituto Numae pluribus diebus circumferebantur. Dionysius lib. 2. *Antiq. Roman.* scribit: *Quod* (Ancile) *cum Numa vellet per Urbem festis diebus circumferri a praestantissimis juvenibus, & annuis honorari sacrificiis; veritus insidias inimicorum, & furta, ferunt fabricasse multa illi similia*. Idem paulo ante, plures dies huic Festo tribuit, *Festum autem eorum incidit in panathenaca, mensemque Martium, & agitur publice per multos dies*: non secus ac Livius l. 32. *Stativa deinde ad Hellespontum aliquandiu habuerunt, quia dies forte quibus Ancilia movebantur, religiosi ad iter inciderant. Iidem dies P. Scipionem propiore etiam religione, quia Salius erat, sejunxerant ab exercitu*. Eorum primum Ovidius olim cecinit, statim post Kalendas Martias ante Piscis occasum, vel in V. Nonas ejusdem mensis incidere, si fides habenda Carolo Neapoli; sed si bene verba Poetae perpendantur, patebit facile, initium illorum esse ipsas Kalendas Martias, quod & Hadriani Junii Fasti testantur, nec non illi, qui vulgo Ovidio adjici solent, quorum haec sunt verba: *Festum, Martis, & Junonis. ANCILIA FERUNTUR. Non esse bonum nubere firmant*. Verum

rum in Kalendario composito circa annum Christi cccliv., & Valentino cuidam dedicato, quod primo Joh. Georgius Hervvartus, & deinde Illustris Lambecius Tom. 4. ex Bibliotheca Vindobonensi Caesarea edidit, septimo Idus, sive nono Martii, primus dies adsignatur per haec verba, ARMA ANCILIA MOVENT; & pridie Idus, sive xiv. ejusdem mensis, ultimus, quia scribitur, MAMURALIA, ut erudite conjicit Johannes Seldenus lib. 2. cap. 22. Uxor. Heb. Nam ultimus dies sacratus fuisse Mamurio fabro, eoque illius laudes decantatae videntur: Servius ad 7. Aen. 188. *Regnante Numa, Caelo hujusmodi scutum lapsum est.: & data responsa sunt, illic fore summam Imperii, ubi illud esset. Quod ne aliquando posset auferri, aut ab hoste cognosci, per Mamurium fabrum multa similia fecerunt: cui & diem* (MAMURALIA nempe) *consecrarunt; quo pellem virgis feriunt, ad artis similitudinem.* Plutarchus in Numa, Varro lib. 5. *de Lingua Latina*, nec non alii testantur, datum arti ipsius, ut nomen a Saliis in carmine Saliari, & quidem ultimo, caneretur; quemadmodum tradit Ovidius in Fastis:

Quis mihi nunc dicet, quare caelestia Martis
ARMA gerant Salii, Mamuriumque canant.

Et

INDICULUS TABULAE II. SAECULI I.

Et mox:

Tum sic Mamurius, merces mihi gloria detur;
Nominaque extremo carmine nostra sonent.
Inde Sacerdotes operi promissa vetusto
Praemia persolvunt, Mamuriumque vocant.

Unde parum abest, quin credam, carmen hoc in varias partes divisum, & eas singulis diebus; non autem uno omne fuisse cantatum. Atque ita pars ejus ultima, quo Mamurii laudes continebantur, incidet in ultimam diem, sive Mamuralia, quo ancilia condita fuerunt. Per dies igitur aliquot ancilia circumferebantur, & MOVERI dicebantur, quando de Sacrario vel loco ubi servata erant, promebantur, CONDI vero, quando reponebantur, uti ex multis Auctorum locis patet. Sed quid sibi volunt MANSIONES SALIORVM OB ARMORVM ANNALIVM CVSTODIAM CONSTITVTAE? Difficilis fateor nodus, & unde me vix extrico. Nam Salii quidem ea servabant, quos propterea Plutarchus *Custodes*, *&* *Ministros* anciliorum appellat; & quidem in Sacrario Martis, uti Servius ad initium Libri octavi Aeneidos memoriae mandat: *Is, qui belli susceperat curam, Sacrarium Martis ingressus primo ancilia commovebat*: & alibi, ea Numa *in Templo Martis fuisse locata scribit*. Sed quo-

quominus illud poſſit intelligi vel *Sacrarium Saliorum Palatinorum*, Onuphrio in Regionibus Urbis Romae laudatum,facit ipſa Inſcriptio, quae plures MANSIONES nobis ob oculos ponit. Utcumque tamen obſcura res eſt, dicam quid ſentiam: & ſi nova opinio cuiquam vel diſpliceat, vel mira videatur, donet eam rogo difficili argumento, & antiquis rebus, quas ſaepe per nebulam cognoſcere tantum poſſumus. MANERE, frequentiſſime de requie nocturna, uti ex Cicerone,Seneca, Suetonio, aliiſque a Salmaſio ad Julium Capitolinum laudatis, patet, uſurpatur; & MANSIONES ſunt loca, vel aedificia,in quibus, confecto unius diei itinere, viatores per noctem quieſcebant. Hinc tot MANSIONIBVS Urbes a ſe invicem diſtare dicuntur, id eſt tot diebus, apud Plinium lib. 12. 14. alioſque. *Continuatis manſionibus iter facere*, eſt ſine requie, continuis noctibus atque diebus,apud Juſtinum lib. 13. cap. 8., & *manſionem parare*,eſt locum, ubi quis pernoctare poſſit,apud Sulpicium Severum Ep.1. Cum autem ANCILIA per totam Urbem ferrentur,inque eam rem vel quinque,vel ſex, vel plures dies conſumerentur, neque ſingulis veſperis in locum cuſtodiae annuae deſtinatum vel ſacrarium Martis referri poſſent, ex-

INDICULUS TABULAE II. SAECULI I.

extructa videntur aedificia, quae (quia in iis de nocte custodiebantur, Salii pernoctabant, & liberaliter se excipiebant) MANSIONES dictae sunt: quomodo etiam interpretandam censeo Inscriptionem aliam Romae MDCXXXIV erutam,

PRO. SALVTE. DOMVS. AVGVSTAE
CORPORA. PAVSARIORVM. ET
ARGENTARIORVM. ISIDI
ET. OSIRI. MANSIONEM
AEDIFICAVIMVS.

Fundus autem novae plane sententiae mihi est, insignis, sed necdum intellectus Festi locus in voce SALIOS. *At Critolaus*, ait, *Saonem ex Samothrace, cum Aenea Deos Penates, qui Lavinium transtulerit, Saliare genus saltandi instituisse; a quo appellatos Salios; quibus per OMNES DIES, ubicumque MANENT, quia amplae ponuntur CAENAE, si quae aliae magnae sunt, Saliares appellantur*. Ecce MANENT dicit, id est pernoctant, quod & firmat vox *caena*, idque per *omnes dies*, sive, si lectio salva est, per totam vitam. Sed hoc cum a ratione alienum sit, nec videantur Salii pro libitu per Urbem dormivisse, multo minus ii, apud quos pernoctabant, coacti fuisse magnificis eos epulis exci-

pere,

pere, jam olim Doctiſſimi viri Torrentius ad Hor. lib. 1. Carm. Od. 37. atque Neapolis, Feſti verba ita laudarunt, *His per omnes ſacrorum dies*, ut intelligantur dies, quibus circumferebantur Ancilia. Verum, cum neſciam, qua auctoritate vocem infulciant, nec tutum ſit abſque MSS. eam admittere, mihi videtur, addita unica litterula, reſcribendum eſſe, *per ominis dies*. Erant enim dies, quibus ancilia movebantur, ominoſi, vt nihil vel publicae, vel privatae rei geri, non arma capi, non iter iniri fas eſſet; & quidquid aliquis ſuſcepiſſet, infelix, infauſtumque capiti ejus crederetur: eſtque OMEN vox media; atque abſolute poſita, tam bonum, quam malum omen ſignificat. Praeterea per unam noctem, vel forte plures, in domo Pontificis Maximi haec arma ſervata, dum circumferebantur: Dio Caſſius lib. 44., refert inter prodigia, quae necem C. Julii Caeſaris praeceſſerant, ea nocte, quam caedes ſecuta eſt, ſonitum eorum: *praeterea ARMA Martis, quae ſecundum inſtituta majorum tunc apud ipſum Summum Pontificem repoſita erant, noctu ſonitum dederunt*. Quadrat ſane hoc valde cum veteri Kalendario, quia *Mamuralia* in eo dicuntur incidere in diem 14. Martis, ſive pridie Idus; Caeſar vero occiſus eſt ipſis Idi-

 bus.

INDICULUS TABULAE II. SAECULI I.

bus. Sed simul vel dicendum, ultimo Ancilia die reposita in domo Pontificis Maximi, posteroque vel condita, & sacrario reddita, vel, mutato more, a Pontifice Maximo servata fuisse: quae est sententia Gutheri lib. I. cap. XI. *de Jure Pontif.* licet male eam firmare conetur verbis Livii, cum apud eum nihil tale extet, nec melius ex Servio doceat, a Pontifice illa in Sacrario in Regia fuisse custodita; quia aliud *Sacrarium* Martis, aliud *Regia*, quae prope templum Vestae in Sacra Via fuit. Ut ut sit, MANSIONES SALIORUM nullae aliae sunt, quam in quibus ancilia nocte servabantur, ipsi Salii a labore se reficiebant, genio indulgebant, & denique dormiebant: haud vana indicia, haec aedificia splendida, & magni sumptus fuisse, quo magis beneficium Pontificum Vestalium patet. PONTIFICES autem VESTAE vocantur U. U. CC., id est, interprete Guthero, VIRGINES VESTALES CASTISSIMAE, Scaligero vero in Indice magni Inscriptionum Operis, *Viri Clarissimi*. Quae ultima expositio si vera, Romae praeter Pontificem Maximum, qui Vestalium curam gerebat, Pontifexque vel SACERDOS VESTAE erat, ut patet ex Ovidio L. v. Fast., cui Julius Caesar Pontifex Maximus, VESTAE SA-

CER-

CERDOS dicitur,& apud quem lib. xv. Met. Venus ita loquitur : Indiculus Tabulae II. Saeculi I.

.....Quid nunc Antiqua recordor
Damna mei generis? timor hic meminisse priorum.
Non finit. In me acui sceleratos cernitis enses.
Quos probibete precor; facinusque repellite: neve
Caede SACERDOTIS flammas extinguite Vestae,

necesse est fuisse alios Vestae Pontifices, quos ceteroquin ad Provincias, licet dubitanter, ablegat Magnus Lipsius. Sed sive Virgines, sive Pontifices fuerint, extruxerunt Mansiones pro MAGISTERIO PORTI ACILII, id est quia Magister creatus erat. In sacris autem MAGISTER vocatur praepositus cujuscumque Collegii Sacerdotalis, qualem Graeci Ἀρχιερέα nominant: hinc Inscriptionibus MAGISTER AEGERIAE, GENII CAESARIS, COLLEGII FRATRVM ARVALIVM, & similes: quin etiam feminae MAGISTRAE occurrunt:

IVLIAE . M. FALICITATI
VXORI
C. CVRIATI . EVTYCHETIS .

IIIVIR.

INDICULUS TABULAE II. SAECULI I.

IIIVIR. MAGISTRAE . FORTVN
NAE . MEL. COL. CENTONARIOR.

Eodem exemplo Praefectus Collegii Saliorum MAGISTER dicitur. Inscriptio vetus,

C. VOLCONIO . C. F.
GAL. PLACIDO . AED.
II. VIRO . II. FLAMINI . II.
QVESTORI
SALIORVM . MAGISTRO .

Alia,

L. ANTISTIVS . CN. F. HOR. SARCVLO
SALIVS . ALBANVS . IDEM . MAG. SALIORVM .

Valerius quoque Maximus *Magistrum Collegii Saliorum* memorat; & Capitolinus refert, M. Antonium in eo Collegio vel Sacerdotio fuisse *Praesulem*, quem *prosaltorem* Glossae veteres vocant, quique, observante Festo, *amptruabat*; *vatem*, sive ὑμνῳδὸν qui praecinebat, & MAGISTRUM, ad quem spectabat inaugurandi & exaugurandi potestas, notante Salmasio. Munus Magistri vocatur *Magisterium*, non secus ac apud Suetonium in Domitiano c. v.: *celebrabat & in Albano quotannis Quinquatrua Minervae, cui Collegium instituerat: ex quo forte ducti MAGISTERIO fungerentur*. Quid autem sibi velint ultimae no-

notae V. V. C. C. dubium magnum mihi eſt. Vulgo denotant, uti ex innumeris lapidibus patet, VIROS CLARISSIMOS; ſed iſtud num locum habere heic poſſit, facit ut dubitem ſolius PORTICI ACILII, quae praecedit, mentio; forteque vitio Artificis literae geminatae ſunt, vel aliquid aliud latet, quod eruditioribus diſcutiendum relinquo. Ceterum cum de SALIIS agatur, non abs re me facturum arbitror, ſi & de ANCILIIS nonnulla moneam. Neque enim dubito, quin Servii verba, quibus dicit Salios PELLEM VIRGIS FERIISSE, lectori ſcrupulum injectura ſint. Nullus quippe iis pellium uſus, neque in illis percutiendis ulla artis fabrilis ſimilitudo, vel limitatio eſſe poteſt: & veteres Auctores, quando ſaliorum veſtitum, & inſignia deſcribunt, nunquam earum mentionem faciunt. Livius memorat *tunicam pictam*; *ſuper tunicam aeneum pectori tegumen, & Ancilia*: Dionyſius Halicarnaſſenſis, *Tunicas pictas, aereos baltheos, togas praetextas, & puniceis aut coccineis clavis diſtinctas, quas vocant trabeas, apices, id eſt pileos altos in omni forma faſtigiatos, quos Graeci Curbaſias nominant*: Plutarchus in Vita Numae Pompilii *tunicas purpureas, & galeas aeneas*; confundens tunicam Saliorum, & Trabeam, quam-

quamvis nec haec tota fuerit purpurea, sed φοινικοπάρυφος & περιπόρφυρος, id est purpura praetexta & clavata. Neque igitur satis mirari, quid Servius sibi cum PELLIBUS velit, vel quo respexerint, qui nobis lectionem bellatulam, ita sim felix, & elegantem obtrusferunt; quae, ut verbo dicam, inepta, insulsa, falsa, ridicula. Vera enim est, *quo PELTAM Virgis feriunt.* Scriptum primo *pellam*: cumque T. & L. saepissime in manu exaratis libris mutari soleant, ex A. simul E, & PELLEM fecerunt. Nam Salii una manu ancilia tenebant, altera VIRGAM, qua illa perastiebant, ut notissimum est; parilique ratione Graeci Ancile πέλτην, & *virgas* ῥάβδους vocant: Dionysius libro 2.. *accincti autem gladio singuli, dextra tenent lanceam, aut virgam, aut tale quid aliud: sinistra vero peltam Thraciam*, mox peltas virgis percussas docet, non secus ac Plutarchus: *cum mense Martio sacros peltas &c. Urbem circumferunt, puniceas induti tunicas, balteis latis succinti aeneis, galeasque aeneas capite gerentes, ac minutis pugionibus scuta percutientes.* Dionysius praeterea paulo post ἐν δὲ ταῖς ΠΕΛΤΑΙΣ, ἃς οἵ τε Σάλιοι φοροῦσιν, unam esse caelo delapsam scribit; & Plutarchus iterum χαλκῆν πέλτην, vel πέλτην simpliciter appellat. Nomen hoc Ancili-

cilibus datum, quia peltis Thracum erant similia. Varro lib. iv. de L. L. *Ancilia dicta ab ancisu, quod ea arma ab utraque parte ut peltae Thracum, incisa*: sed quae fuerit forma peltae Thraciae, obvium nequaquam est, & dissentiunt super hac re tam veteres, quam recentiores. Verum, si bene examinentur Doctissimi Romanorum verba, nihil aliud inde evinci posse patebit, quam ancilia eodem modo, quo peltae incidebantur, incisa fuisse: volvat, perpendat, trutinet ea quamdiu libitum fuerit, nullum alium sensum reperiet, cum nihil clarius dici queat, *quam ab utraque parte fuisse incisa*; illudque fieri non possit, quin utraque latera, non autem summitas, habeant inflexiones, vel lunas dimidiatas: hoc est quod tradit Festus v. *Mamurii*: *ancile, id est scutum breve sic appellatum, quia ex utroque latere erat recisum, ut summum infimumque ejus latus pateret*. Plutarchus quoque *ancile* non ait esse *circuli forma, &* (intellige clypeum vulgarem) *non reddere, ut peltam, circumferentiam, sed incisionem habere* lineae flexuosae. Ἀποδεδῶσαι τὴν περιφέρειαν dicuntur clypei oblongi, vel rotundi, quando latera non sunt excisa, sed utrinque aeque latera extenduntur. Et quamvis non satis clare Plutarchus narret, an in lateribus, an

INDICULUS TABULAE II. SAECULI I.

an vero in summa parte incisa fuerint ancilia, credibile tamen est, eum alios sequi; tum quia Amazonicae peltae lunas habuerunt in summa parte clypei rotundi, uti ex marmoribus, & Auctoribus antiquis docet Justus Lipsius in Analectis ad Militiam Romanam, tum quia Thracum, quibus similia ancilia, utrinquè recisae fuerunt, uti disertis verbis Varro docet, necnon Dionysius Halicarnassensis. Nam cum narrasset, Salios *Peltam Thraciam* gerere, addit eam similem esse, *quod latera habet arctiora*. Neque tamen ille tradit, quae est sententia Lipsii, accessisse ad Peltam Thraciam ancilia, & proinde lateribus minus incurvis aut reductis fuisse, sed unas easdemque cum Varrone facit. Est autem *Pelta*, oblonga, & quae integrum Orbem habet; ita dicta, quia lineae, vel ex auro, vel argento clypeum circumeuntes, ῥάβδοι Homero Il. M. 297. pag. 905. vocantur, ad quem Eustathius potest videri, qui & notat πέλτην non habuisse ἴτυν id est orbem, quia erat incisa. Haec mihi occasione Serviani loci commentanti, commode se offerunt Minucii Felicis in Octavio verba, quae omnes Interpretes intacta reliquerunt, unum si excipias Wouverium, qui haec scribit: *Nudi cruda hyeme discurrunt. Alii incedunt Pileati, scuta vete-*

tera circumferunt, PELLES caedunt, mendicantes vicatim Deos ducunt. Insignis ille vir, & de hoc studiorum genere optime meritus, putat verba, *pelles cædunt*, loco mota esse, & subjungenda iis, *nudi cruda hyeme discurrunt*; quod Lupercorum esse, ex Festo, Dionysio, Prudentioque probat. Quae si vera conjectura, scribendum omnino *pellibus caedunt*, quia iis obvias feminas percutiebant. Festus: *Crepos Romani Lupercos dicebant a crepitu pellicularum, quem faciunt verberantes. Mos enim erat Romanis, in Lupercalibus nudos discurrere, & PELLIBVS obvias quasque feminas ferire.* Eratque hæc pellis longiuscula, neque admodum larga, instar earum, uti reor, quibus hodie utuntur, qui apud circumforaneos medicos Mimum exercent. Pilis arte alutaria detracti, unde Plutarchus in Antonio σκυτεα λουκα' appellat; Prudentius vero *Lupercales ferulas*, quia ferulae usum praebebant, & mulieres, non secus ac in scholis (ubi scutica tali percutiebantur, teste Martiale l.x. Ep. 62) pueri, dextras porrigebant, persuasae α'γύκοις πρὸς κυήσιν ἀγαθὸν εἶναι, quemadmodum videre licet apud Plutarchum in Cæsare. Quod si nec Wouvveriana trajectio, nec mea emendatio placet, neque loco verba mota esse contèndere quis velit, quia in MSS. non aliter di-

Indiculus Tabulae II. Saeculi I.

gesta sunt, nullus dubito, quin scribendum sit, *Peltas caedunt*; quod idem vitium modo e Servio ablatum est. *Huc usque Cuperus*.

ROMAE EXCUDEBANT
HAEREDES IO: LAURENTII BARBIELLINI
BIBLIOPOLAE ET TYPOGRAPHI ROMANI
REGNANTE SUMMO PONTIFICE
BENEDICTO XIV
ANNO PONTIFICATUS XIIII
REPARATAE SALUTIS CIƆ IƆ CC LIII.

7

ERRATA. CORRIGE.

PAg.467.lin.25.	illustraturis :	illustraturi .
p.477.l. 1.	Vallantius :	Vaillantius .
p.473.l. 8.	Design. XI. :	Design. XII.
p.484.l.14.	*Annis bCristi* :	*Annis Christi*.
p.495.l.21.	Quiririnius :	Quirinius .
p.505.l.22.	Praesisidum :	Praesidum .
p.507.l. 6.	Col. 74. :	pag. 165.
l.15.	Tumultuantibus :	Tumultuantibus .
p.512.l.10.	ille :	Vespasianus .
p.514.l. 5.	*Osservazioni sapra* :	*Osservazioni sopra* .
p.520.l.12.	*ab B. Virginem* :	*ad B. Virginem* .
p.537.l. 6.	apud Bosium lib.VI. :	apud Bosium lib.VI.
p.564.l.19.	dolore :	dolore .
p.569.l.20.	Tabula :	Tabula .
p.581.l.18.	*etiamsi* :	*etiamsi* .
p.597.l. 8.	vers. 16. e 31.	vers. 16. & 31.
p.605.l.22.	dua tamen :	duas tamen .
p.620.l.17.	ad Orienetm :	ad Orientem .
p.640.l.20.	insignia decreto deltos:	insigni decreto delatos .
p.644.l.ult.	*Saturnulium* :	*Saturnalium* .
p.645.l.16.	Agtippae Generis :	Agrippae Generi .
p.704.l.22.	laudibus ; cumular :	laudibus cumulat ; .
p.712.l. 3.	De Statutis :.	De Statuis .
p.755.l.16.	*nominnat* :	*nominant* .
p.782.l.26.	ipsis Collis :	ipsius Collis .
p.789.l.22.	*hominu* :	*hominum* .
p.790.l. 2.	immolaram :	immolatam .
p.811.l. 7.	uxori Neronis :	matri Neronis .
p.831.l. 7.	*inclusa* :	*inclusa* .
p.846.l.26.	Rufus:	Rufus .
p.878.l.24.	*ae minutis* :	*ac minutis* .







